DE BRANCHIDIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

HENRICUS GELZER

SCAFFHUSIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS EXSCRIPSERUNT METZGER & WITTIG

1869.

ERNESTO CURTIO

D. D. D.

AUCTOR.

§ 1.
De oraculi primordiis.

Si quis Ionicarum urbium origines diligenter perscrutari atque accurate indagare voluerit, is facere non poterit, quin optimo ejus rei duci, Pausaniae periegetae, summam tribuat auctoritatem, quippe qui, ex Lydorum Ionumve ipsorum finibus oriundus, omnia, quae ad patrias antiquitates pertinere sibi viderentur, diligenter collegerit et memoriae prodiderit.

Itaque cum apud eum legamus, Didymaeum delubrum et Branchidarum oraculum jam ante Ionum, qui fertur, adventum condita fuisse,[1] non dubito, quin in constituenda templi aetate ei, quem attuli, loco maxima fides habenda sit. Neque quemquam negare putaverim, etiam ante Ionum migrationem Apollinem, deum Ionicum, in Ionica terra vaticinari potuisse: qui enim viri docti[2] conjecerunt, Ionum primordia in litore Asiatico quaerenda esse, ei judicio suo haud falsi esse videntur.

Iam vero, quae sacerdotes de templi primordiis narraverunt, accuratius examinemus. In quibus Varronis[3] narratio, quamvis multis locis corrupta, tamen nonnulla integritatis et vetustatis vestigia prae se fert. Refert enim Olum quendam, decimum ab Apolline, filium, Simerum nomine, per imprudentiam in litore Milesio reliquisse. Qui cum in saltum Patronis cujusdam pervenisset, Patronem, jussu Leucotheae deae, eum tamquam filium

---

[1] Pausan. VII, II, 4.

[2] Curtius, die Ionier vor der ionischen Wanderung.

[3] Lutatius (Lactantius) ad Statii Thebaïd. VIII, 198. edid. Emer. Cruceus Paris 1618 pag. 364 B et C.

liberaliter habuisse filiamque suam in matrimonium ei dedisse. Quam, gravidam factam, per somnia vidisse Solem introeuntem sibi per fauces, exeuntem per ventrem, filioque postea nato Branchi indidisse nomen, cum per fauces in ipsam Sol introisset et per ventrem egressus esset. Branchum vero, postea amasium Apollinis factum esse: quia eum, oves in silva pascentem, osculatus esset. Corona dein virgaque ab Apolline acceptis, Branchum vaticinari coepisse. Ibi et Milesios aram Apollinis Philesii consecrasse.

Haec ferme Varronis narratio est. Quae vero apud Cononem[1] leguntur, quamvis ejusdem originis, tamen aliquantum, a Varronianis diversa sunt. Ac primum quidem Branchi pater Σμῖκρος nominatur. Pater autem Smicri non olor (ita aperte legendum est pro „olus“), ὁ κύκνος, Apollinis avis, sed Democlus Delphus est. Quo ex loco manifesto apparet, quae apud Cononem tradantur, seriori aetati adscribenda esse. Etenim ubi primum Pythii Apollinis oraculum inclaruit, vates multa finxerunt, multasque fabulas excogitaverunt, quibus docerent, Clariorum sacerdotum, Branchidarum, aliorum originem esse *Delphicam,* ita ut Pytho quodammodo μητρόπολις oraculorum fieret.[2]

Quod autem Varro memoriae prodidit, Branchum coronam virgamque a deo accepisse, id ex more sacro est, ac prorsus cum ritu sacerdotali convenit. Nam, teste Jamblicho,[3] mulier fatidica, quae postea in locum prophetae successit, virgam manu tenens, a deorum aliquo olim sibi traditam, divino spiritu repleta est.

Restat, ut Philesii vel Philii, qui vocatur, Apollinis cognomen explicemus. Neque dubium est, quin Conon explicationem illius cognominis a turpi amore masculo petat, cum dicat Apollinem, amore captum, Branchum complexum et osculatum esse.[4] E Statii scholiis, ne quid lucremur, ipsa scholiorum misera con-

[1] Photius patriarch. myriobibl. cod. 186. Conon. διηγήσ. 33. cfr. Clavier sur les oracles pag. 130.

[2] Preller Griech. Mythol. II, 484.

[3] Jamblichus de mysteriis ed. Parthey pag. 127.

[4] Conon l. c. καὶ ἦν ὁ παῖς κάλλιστος ἀνθρώπων, καὶ αὐτὸν ἐφίλησεν ἐρασθεὶς Ἀπόλλων, εὑρὼν ποιμαίνοντα, ἔνθα βωμὸς Ἀπόλλωνος Φιλίου ἵδρυται.

dicio prohibet. Consentiunt vero cum Conone, cognomen Apollinis de puerorum amore explicante, Strabo et Philostratus, quorum ille,[1] ubi de Branchidarum oraculo refert, ejusdem de Apollinis amore fabellae mentionem facit; hic vero[2] Ioniae gloriolam quandam esse praedicat, quod ea sit patria amoris puerilis: inde enim oriundos esse Clarum et Branchum, Apollinis catamitos.

Quae tamen omnia ne pro certis exploratisque accipiam, habeo caussas, ut puto, satis idoneas. Eodemmodo haec tractanda mihi esse videntur, quo fabulae commenticiae Pythiorum sacerdotum, id agentium, ut aliis oraculis originem Delphicam vindicarent. Posterioris enim aetatis Graeculi multa aeque absurda de Patroclo,[3] de Heleno,[4] de aliis hariolati sunt. Quam vero Macrobius[5] explicationem allegoricam excogitavit, ne ea quidem admittenda est. Ac meo judicio nemo ei accedet, ita explicanti: Ἀπόλλων Φιλήσιος, quod lumen ejus exoriens amabile amicissima veneratione consalutamus.

Neque solum de epitheti explicatione veteres scriptores inter se discrepant, sed etiam multum abest, ut de re ipsa omnium sit una eademque opinio. *Pudicum* enim fuisse Apollinis in Branchum amorem docemur a Callimacho, cujus de rebus mythicis judicium, quippe doctrina et eruditione bene fultum ac munitum, ne quis aspernetur. Cujus ex carmine, quod condidit de Brancho, Terentianus Maurus haec deprompsit:[6]

Necnon et memini, pedibus quater his repetitis
Hymnum Battiadem Phoebo cantasse Iovique
Pastorem Branchum, cum captus *amore pudico*
Fatidicas sortes docuit depromere Paean.

Osculum enim Apollinis intimam inter deum et prophetam

[1] Strabo XIV pag. 634. ἐνταῦθα δὲ μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Βράγχον καὶ τὸν ἔρωτα τοῦ Ἀπόλλωνος.

[2] Philostratus pag. 344 ed. Kayser. ἀλλ' ἀπ' Ἰωνίας; καὶ τί τῆς γῆς ἐκείνης ἀβρότερον, ὅπου Βράγχοι καὶ Κλάροι, οἱ Ἀπόλλωνος καλοί. Cujus sententiae accessit Welckerus griech. Goetterl. II, 382 ff.

[3] Lucian. amores 54.

[4] Ptolem. Hephaestion apud Photium Patr. Westermann Mythogr. pag. 195.

[5] Macrob. Sat. I, 17.

[6] Terent. Maurus de metris pag. 2424 ed. Putsch.

intercedere necessitudinem, si translationem mythicam admittere licet, documento est. Hisce omnibus, quae attuli, intellegi potest, Branchum ipsum fabuloso heroïcae aetatis tempori adscribendum esse. Qui enim Branchidarum, in quorum familiam postea oraculi Didymaei cura pervenit, auctor fertur, is certe mythicus est.

Accedit, quod a Metrodoro Branchus cum Hyacintho comparatur. „Branchus Thessalus fuit dilectus Apollini, ut Hyacinthus, quem acriter interfectum dolens templo et sepulcro consecravit. Illic Branchiades Apollo dicitur.“ [1]

Alias praeterea gentes oraculo praefuisse, Conon auctor est, qui sicut Branchidarum, ita etiam Euangelidarum originem prodit, haec fere narrans. [2]

Leodamas, Milesiorum rex, expugnata Carysto urbe, mulierem captivam, infantem uberibus alentem, cum aliis plurimis donariis, manubiarum decimis, ad Branchidas misit. Ipse vero tunc Branchus templo et oraculo praeerat, qui captivam mulierem magna cura nutrivit ejusque filium adoptavit. Qui cum adolevisset, a Brancho oraculorum nuntius factus, Euangelus appellatus est. Defuncto vero Brancho, in oraculo successit, et auctor Euangelidarum apud Milesios fuit.

Quam Cononis narrationem, si recte interpretamur, unum certe ea edocemur. Quamquam enim Leodamas rex, quo tempore vixerit, constitui non potest, tamen a veri specie hoc abhorrere non videtur: cum Branchus sacerdos idemque vates fuerit, et teste Conone, Euangelum oraculorum interpretem fecerit, curam Didy-

---

[1] Lutat. (Lactant.) ad Stat. Theb. III, 478.

[2] Conon apud Photium cod. 186 διηγ. 44. . . . . Λεωδάμας δὲ λαμπρῶς κατὰ Καρυστίους ἀνδραγαθήσας, κατὰ κράτους ἑλὼν τὴν πόλιν καὶ ἀνδραποδισάμενος, Μιλήτου ἐπανιὼν, κατὰ τὰ συγκείμενα βασιλεύει. Αἰχμάλωτον δὲ κατὰ χρησμὸν γυναῖκα Καρυστίαν, παῖδα φέρουσαν ὑπομάσθιον, μετὰ πολλῶν καὶ ἄλλων ἀναθημάτων, ἃ δεκάτη τῶν λαφύρων ἐτύγχανον, ἀνέπεμψεν ἐν Βραγχίδαις. αὐτὸς δὲ τότε Βράγχος προὐστήκει τοῦ τε ἱεροῦ καὶ τοῦ μαντείου, ὃς τήν τε αἰχμάλωτον γυναῖκα ἐνόμισε καὶ τὸν παῖδα αὐτῆς ἔθετο. ηὔξανε δ' ὁ παῖς οὐ κατὰ λόγον, ἀλλὰ θείᾳ τινὶ τύχῃ. καὶ πλέον ἢ πρὸς τὴν ἡλικίαν ἀπήντα τὸ εὐσύνετον. Ποιεῖται δὲ αὐτὸν Βράγχος καὶ ἄγγελον τῶν μαντευμάτων, Εὐάγγελον ὀνομάσας. Οὗτος ἡβήσας τὸ Βράγχου μαντεῖον ἐξεδέξατο καὶ ἀρχὴ γένους Εὐαγγελιδῶν παρὰ Μιλησίοις ἐγένετο. — G. Vossius de origine et progr. idolol. II cap. XII pag. 137a. — Müller Dorier I, 224 Anm. 3.

maei fani inter Branchidarum Euangelidarumque familias postea divisam esse existimo, atque ita pactum esse, ut Branchidae ipso dei sacerdotio fungerentur, Euangelidae autem, id quod nomen monstrat, nuntii fierent voluntatis divinae eis, qui oraculum consulturi adirent.

Facti igitur sunt oraculorum interpretes — χρησμῶν ἐξηγηταί.

Atque oracula a prophetide, sicuti Delphis, Dodonae, Pataris, aliis locis edebantur. Sed de his postea.

Praeter has, quas attuli, fabulas etiam alia invenitur apud Tzetzen, quae ad Didymaei oraculi origines referenda esse videtur. Qui quidem nobis tradidit,[1] Hesionen ex Telamone gravidam factam, Miletum aufugisse et filium, Trambelum nomine, peperisse. Hunc ab Achille, qui expeditione Graecorum ad diruendam Trojam facta, Miletum delatus esset, interfectum esse: postea vero ab eodem, cum comperisset Trambelum Telamonis esse filium, magnificentissimo funere honoratum fuisse.

Hic vero Trambelus Apollinis vatibus adnumerandus esse videtur. Primum enim mater ejus a Lycophrone παρθένος nominatur Βραγχησίη,[2] dein Achilles Apollinis vatibus inimicissimus est. Nam in ipso Thymbraeo Troïlum,[3] Apollinis carissimum filium, obtruncavit, neque Cycno,[4] neque Tennae[5] pepercit.

Atque cum in titulo apud Lebasium[6] propheta ex Ajacis gente nominetur, verisimile est Trambelidarum quoque gentem Didymaei oraculi sacerdotibus ascribendam esse.

Itaque fabularum, quae ab ipsis Didymaei oraculi sacerdotibus circumferebantur, ratione habita, neque cum Buttmanno[7] Argonautarum tempore conditos esse Branchidas, neque cum

[1] Tzetzes ad. Lycophron. v. 467. Ἡσιόνη ἐκ Τελαμῶνος ἔγκυος γενομένη, ἀπέδρασε τῆς νεὼς καὶ νηξαμένη ἦλθεν εἰς Μίλητον. Τῆς δὲ εἰς Ἴλιον στρατείας γενομένης, Ἀχιλλεὺς εἰς Μίλητον παρεγένετο καὶ τὸν Τράμβηλον ἀντιστάντα ἀνεῖλε. Μαθὼν δὲ Τελαμῶνος εἶναι υἱὸν, ἔθαψεν αὐτὸν, δακρύσας ὡς συγγενῆ.

[2] Lycophron. v. 1379.

[3] Tzetzes ad Lycophr. v. 307.

[4] Pindar. Ol. II, 82 (147).

[5] Pausan. X, XIV, 4.

[6] Lebas voy. archéol. As. Mineure Nr. 239.

[7] Buttmann Mythologus II, pag. 208 ff.

O. Müllero[1] ex Creta insula coloniam sacerdotum Miletum deductam esse censemus.

Nullum enim adest vestigium, quo nisi, Didymaei sacerdotes, sicuti prophetarum gentes apud Delphos, e Creta insula originem duxisse, dicere possimus.[2]

Verum, cum Soldanus[3] inter annos 632 et 601 a. Ch. n. Branchum oraculum condidisse statuat, non multos ejus sententiae accessuros esse puto. Etenim, quae de Branchidarum origine traduntur, antiquissimis temporibus ascribenda sunt, uti in proximis demonstrare conati sumus.

§ 2.
De Didymaei oraculi historia.

Ut nunc ad Didymaei delubri historiam transeamus, testis est Tzetzes,[4] jam a Neleo, primo Ionum rege, consultum esse oraculum. Qui cum in Milesiorum terram pervenisset, de condenda nova urbe a deo oraculum petiit. Is autem respondit filiam ei locum esse assignaturam. At ille, cum eam videret sese ipsam denudantem et quaerentem, num quis secum vellet consuescere, divini oraculi sententiam intellegens, eo loco novam urbem aedificavit. Uti vero Apollo gentis Milesiorum auctor est, ita etiam soror, quae a Callimacho hoc modo celebratur:[5]

Πότνια, πουλυμέλαθρε, πολύπτολι, χαῖρε Χιτώνη,
Μιλήτῳ ἐπίδημε. σὲ γὰρ ποιήσατο Νηλεύς
Ἡγεμόνην, ὅτε νηυσὶν ἀνήγετο Κεκροπίηθεν.

Itaque Apollini „ἀρχηγέτῃ“ juncta est Diana „ἀρχήγετις“ sive „ἡγεμόνη“. Quae quomodo a Branchidis culta sit, postea enarrabimus.

---

[1] O. Müller Dorier I pag. 224.

[2] Hoeck Kreta II pag. 319 ff.

[3] Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1841 Nr. 67. pag. 559.

[4] Tzetzes ad Lycophr. v. 1385. Τοῦ δὲ Νηλέως πάλιν ἐν Μιλήτῳ μαντευσαμένου, ποῦ δεῖ κτίζειν, ὁ θεὸς ἔφη τὴν θυγατέρα αὐτοῦ δείξειν αὐτῷ. Ἀποβὰς δὲ εἶδεν αὐτὴν ἀποσυραμένην τοὺς μηροὺς καὶ λέγουσαν· τίς μοι θέλει συνουσιάζειν; συνεὶς δὲ ὁ πατὴρ αὐτῆς τὸ λόγιον, ἐκεῖ κατῴκησεν.

[5] Callim. hymn. in Dianam 225,

Iam cum intellegamus ad condendam Miletum Branchidarum deos maximam operam dedisse, recte aliquis quaerat, num in collocandis Milesiorum coloniis Apollo atque Diana similiter principatum, ut ita dicam, tenuerint. Atque multa inveniuntur, ex quibus accurate demonstrari potest, Milesiorum celeberrimas colonias ab Apolline et Diana scilicet sub Didymaeorum sacerdotum ductu auspicioque conditas esse.[1]

Atque ut a Cyzico, colonia potentissima et per longum temporis tractum immuni ordiamur, luculento Aristidis rhetoris testimonio[2] docemur, Apollinem ipsum Cyzici fuisse conditorem. Alias enim urbes ab hominibus, consulto deo, conditas esse, Cyzicenos vero colonos, ducente deo ipso, novas sedes obtinuisse dicit.

Neque alia Apollonius,[3] doctissimus poëta, refert.

Κεῖσε καὶ εὐναίης ὀλίγον λίθον ἐκλύσαντες
Τίφυος ἐννεσίῃσεν ὑπὸ κρήνῃ ἐλίποντο,
Κρήνῃ ὑπ' Ἀρτακίῃ· ἕτερον δ' ἕλον ὅστις ἀρήρει
Βριθύν· ἀτὰρ κεῖνόν γε θεοπροπίαις Ἑκάτοιο
Νηλεΐδαι μετόπισθεν Ἰάονες ἱδρύσαντο
Ἱερὸν ᾗ θέμις ἦεν Ἰησονίης ἐν Ἀθήνης.

Quibus Apollonii verbis enarrator addit,[4] Milesios, cum ex oraculo Apollinis terram occupassent, ancoram donum in templo Iasoniae Minervae posuisse.

Templum vero Apollinis apud Cyzicenos ab Aristide[5] summis laudibus effertur. Aedificium enim esse vasti ambitus, cryptis subterraneis et porticibus ornatum, dicit.

Dein Proconnesii, Cyzicenorum finitimi, tamquam „ἀρχηγέ-

---

[1] Müller Dorier I, 225.

[2] Aristides rhetor. or. XVI vol. I pag. 383 ed. Dind. πεπύσθαι δέ τινα ἤδη καὶ τῶν ἐν Ὑπερβορέοις οἶμαι τὸν περὶ Κυζίκου χρησμὸν καὶ τὸν μάρτυρα τῆς εὐδαιμονίας τῇ πόλει, ὃς ταῖς μὲν ἄλλαις πόλεσιν ἐξηγητής ἐστι, τῇ δὲ πόλει ταύτῃ καὶ ἀρχηγέτης. τὰς μὲν γὰρ ἄλλας πόλεις διὰ τῶν οἰκιστῶν ᾤκισεν οὓς ἀπέστειλεν. ἑκαστοχόσε, ταύτης δὲ ἐκ τοῦ εὐθέος γέγονεν οἰκιστής.

[3] Apollon. Rhodius I, 935 sq.

[4] Scholia ad Apoll. Rhod. l. c. Μιλήσιοι δὲ ἐνοικήσαντες κατὰ χρησμὸν Ἀπόλλωνος τὴν ἀγκύραν ἀνιέρωσαν ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἰασονίας Ἀθηνᾶς.

[5] Aristides rhetor. or. XVI vol. I pag. 390 ed. Dindorf.

τιδα τῆς πόλεως“ Dianam coluerunt. Cum enim Milesii coloniam deduxissent, virgo, urnam gestans, eis obviam ivisse fertur. Quamobrem etiam incolae „ἀπὸ τῆς προχόου“, „Προχοννήσιοι“ dicti sunt.[1] Virgo, urnam gestans, Diana Pythia est, quae a Branchidis colebatur et cujus in honorem τὰ ὑδροφόρια celebrabantur per dies festos splendidissimos. Et quamvis nominis vim scriptores parum recte enodent, hoc tamen pro certo affirmare possumus, ductu auspicioque Didymeae deae conditam esse Proconnesiorum urbem.

Tum uti in nummis coloniarum Chalcidensium, ita etiam in Milesiarum coloniarum nummis Apollinis symbola et imagines inveniuntur; qua ex re stricte colligi potest, ex patria Apollinis sacra in colonias translata esse.

Ita Abydeni, Apollinis sacris prae ceteris dediti, nummos urbanos Apollinis laureati capite signaverunt.[2] Verumtamen ne sororem quidem neglexerunt; sed in aliis nummis Dianae imago expressa est, arcum tenentis et pharetram, et in parte aversa cerva, Dianae animal, intra coronam ficta est.[3]

Itidem et Lampsacenorum nummi stolati Apollinis imaginem expresserunt.[4] Et Cianorum urbs, quae postea Prusias[5] nuncupata est, eodemmodo nummos laureati Apollinis forma signavit.

Videmus igitur, uti Chalcidenses, Corinthii, Achivi, alii ducente deo Delphico colonias deduxerunt, ita etiam Branchidarum sacerdotes condendarum Milesiorum coloniarum duces et auctores fuisse.

Quamquam de Milesiorum in Propontide coloniis maxima nobis suppeditatur testimoniorum copia, tamen de Ponticis quoque nonnullis urbibus similia memoriae produntur.

---

[1] Scholia ad Apoll. Rhod. II, 279. Διονύσιος δέ φησιν ὁ Ἀθηναῖος ἐν ταῖς κτίσεσιν τὰς ἐλάφους οὕτω λέγεσθαι πρόκας, ὅθεν καὶ Προκόννησος, ἐπεὶ ἐν ταύτῃ πληθύουσιν ἔλαφοι. Οἱ δὲ Προχόννησον λέγουσιν εἰρῆσθαι ἀπὸ τῆς προχόου, ἣν ἔχουσα τοῖς Μιλησίοις ἀπήντησεν ἡ παρθένος ὅτε τὴν ἀποικίαν ἐστέλλοντο.

[2] Eckhel doctrina nummorum veterum II pag. 478.

[3] Eckhel l. c. II pag. 457.

[4] Eckhel l. c. Millingen, ancient coins pag. 69.

[5] Strabo pag. 563.

[6] Eckhel l. c. pag. 434. 435.

Strabo testis est, Apolloniae, in urbe Pontica, magnum Apollinis fuisse delubrum.[1]

Iam in antiquissimis fabulis de Sinopensium origine Apollo commemoratur. Ad Apollonii enim verba „ἔνθα Σινώπην“ enarrator refert,[2] urbem ita esse nuncupatam, quod Apollo Sinopen, Asopi filiam, ex Syria in Pontum abripuisset. Quae cum ex deo gravida facta esset, filium peperisse traditur, Syrum nomine.

Accedit quod Arrianus memoriae prodidit, Trapezunte, in Sinopensium colonia, Philesium cultum esse.[3]

Atque in Taurici Bospori urbibus nummi permulti inveniuntur, qui arcu et sagitta, Apollinis symbolis, ornati sunt.[4] Olbianorum vero patronus Apollo προστάτης[5] est, cujus in oppidanis titulis saepenumero mentio fit.

Denique uti et Aegyptiacam Milesiorum coloniam addam, teste Herodoto,[6] Apollinis templum Naucratide exstruxerunt.

Haec fere sunt, quae de Apolline, coloniarum auctore, a Milesiis memoriae prodita sunt. Atque jam intellegimus, quantum Branchidarum oraculum temporibus antiquis apud Milesios valuerit. Et sacerdotes non minimum contulerunt, ut postero tempore Miletus prima Ioniae colonia et mater multarum magnarumque urbium in Ponto, in Aegypto et ubique ferme in orbe terrarum nominaretur.[7]

In fabulis, quae de septem sapientibus et de nonnullis philosophorum inde ab ineunte sexto ante Christum saeculo circumferebantur, saepius Branchidarum mentio fit. Thales igitur prae-

---

[1] Strabo VII, 319.

[2] Schol. ad. Apoll. Rhod. II, 946. πόλις τοῦ Πόντου ἡ Σινώπη ἀπὸ τῆς Ἀσωποῦ θυγατρὸς Σινώπης, ἣν ἁρπάσας Ἀπόλλων ἀπὸ Συρίας ἐκόμισεν εἰς Πόντον, καὶ μιγεὶς αὐτῇ ἔσχε Σῦρον ἀφ' οὗ οἱ Σύριοι.

[3] Arrian peripl. pont. Eux. 3. — C. Müller geogr. min. I pag. 371. — O. Müller Dorier I pag. 225.

[4] de Phanagoria vide Eckhel. l. c. II pag. 239.

[5] C. J. G. 2067. 2070. 2071. 2072 etc.

[6] Herodot. V, 36. Χωρὶς δὲ Αἰγινῆται ἐπ ἑωυτῶν ἱδρύσαντο τέμενος Διὸς καὶ ἄλλο Σάμιοι Ἥρας καὶ Μιλήσιοι Ἀπόλλωνος.

[7] C. J. G. 2878. τῆς πρώτης τῆς Ἰωνίας ᾠκισμένης καὶ μητροπόλεως πολλῶν καὶ μεγάλων πόλεων ἔν τε τῷ Πόντῳ καὶ τῇ Αἰγύπτῳ καὶ πολλαχοῦ τῆς ᾠκισμένης Μιλησίων πόλεως ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος κτλ.

clarum illum tripodem, qui a sapientum alio semper ad alium tamquam majore ingenii acumine praeditum mittebatur, Didymaeo Apollini, auctore Diogene, dono dedicavit.[1]

Sed et scutum illud, de quo Pythagorei, animae transmigrationem docentes, multa et mirabilia tradiderunt, secundum Heraclidem Ponticum[2] in Branchidarum templo affixum fuit.

Iam inde a vetustissimis temporibus hoc oraculum, quod praeter Delphos gloria nulli cessit, ab Aeolensibus et Ionibus omnibus visitabatur. Sic Cumaei, Aeolensium caput, de tradendo Pactye, teste Herodoto,[3] Branchidas consuluerunt.

Verum non modo apud Graecos, sed etiam apud Cares Didymaeum oraculum summa auctoritate fruebatur. Cares enim, contra Darium pugnaturi, Branchidarum deum consuluerunt.[4]

Ubi vero, inclarescente Milesiorum urbe, etiam Branchidarum oraculum ad summum honoris fastigium pervenit, exterarum gentium reges Didymaeum deum donis locupletissimis ditarunt.

Necos, Aegyptiorum rex, postquam apud Magdolum,[5] (ἐν

---

[1] Diogen. Laërt. Lib. I Thales segm. 28. ἐδόθη δὲ Θαλῇ καὶ κατὰ περίοδον πάλιν Θαλῇ, ὁ δὲ τῷ Διδυμαίῳ Ἀπόλλωνι ἀπέστειλεν, εἰπὼν οὕτω κατὰ τὸν Καλλίμαχον·

Θαλῆς με τῷ μεδεῦντι Νειλέω δήμου
Δίδωσι τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον·

τὸ δὲ πεζὸν οὕτως ἔχει·

Θαλῆς Ἑξαμύου Μιλήσιος Ἀπόλλωνι
Διδυμαίῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον δὶς λαβών.

[2] Diogen. Laërt. Lib. VIII Pythagor. segm. V. . . . . φησὶν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς, ἐπειδὴ δὲ Εὔφορβος ἀποθάνοι, μεταβῆναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς Ἑρμότιμον, ὃς καὶ αὐτὸς πίστιν δοῦναι θέλων, ἐπανῆλθεν εἰς Βραγχίδας καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν, ἐπέδειξεν, ἣν Μενέλαος ἀνέθηκεν ἀσπίδα.

[3] Herodot. I, 157. Οἱ δὲ Κυμαῖοι ἔγνωσαν συμβουλῆς πέρι εἰς θεὸν ἀνῷσαι τὸν ἐν Βραγχίδῃσι. ἦν γὰρ αὐτόθι μαντήϊον ἐκ παλαιοῦ ἱδρυμένον, τῷ τε Ἴωνές τε πάντες καὶ Αἰολέες εἰώθεσαν χρέεσθαι.

[4] Paroemiogr. Graeci edit. Gotting. 1 Zenobius V, 80. φασὶ τοὺς Κᾶρας πολεμουμένους ὑπὸ Δαρείου τοῦ Πέρσου κατά τινα παλαιὰν μαντείαν εἰρημένην αὐτοῖς τοὺς ἀλκιμωτάτους προσθέσθαι συμμάχους, ἐλθεῖν ἐς Βραγχίδας καὶ τὸν ἐκεῖ θεὸν ἐρωτῆσαι, εἰ Μιλησίους πρόσθοιντο συμμάχους, τὸν δ' ἀποκρίνασθαι·

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

[5] Herodot. II, 159.

Μαγεδδῷ [1]), Josiam, Judaeorum regem, superavit, vestem qua indutus, victoriam reportaverat, Apollini dedicavit et ad Branchidas transmisit. [2]

Sed rex prae ceteris φιλέλλην, Croesus, Lydius, uti alia multa delubra, ita etiam Branchidas splendidissimis donis [3] locupletavit. Oraculum enim inter sex celeberrima apud Graecos numerabatur, quae a Croeso, priusquam cum Persis manus consereret, consulebantur.

Similiter etiam Histiaeus, Milesiorum tyrannus, et Chares, Tichiussae regulus, dona templo miserunt. [4]

Eo vero tempore, quo Persarum reges principatum apud Asiaticas gentes obtinuerunt, oraculum semper a Persis stetit. Neque hoc mirum est. Sacerdotes enim optimatibus favere solent. Populi contra potestatem, quae antea Mileti floruerat, in contemptu et odio habent, ita ut barbarorum dominationem popularium arbitrio praeferant.

Iam Cyri aetate, cum Pactyes Lydus novas res molitus esset, et Persarum poenas metuens, Cymen fugisset, legatis a Cumaeis missis deus, uti Pactyen Persis traderent, suasit. [5]

Neque a veri specie abhorret, Didymaeorum sacerdotum auctoritate Milesios commotos esse, uti cum Cyro paciscerentur.

Nequiquam, cum Ionum seditio exarsisset, Hecataeus, rerum scriptor, suasit, ut Milesii divitiis, quas Croesus Branchidis dedicaverat, ad exaedificandam classem uterentur. [6] Talis enim sacerdotum auctoritas fuisse videtur, uti ne in omnium quidem rerum discrimine Milesii Didymaeum deum spoliarent.

---

[1] V. T. graece ed. Tischendorf. Βασιλ δ' 23, 30.

[2] Herodot. II, 159.

[3] Herodot. II, 92 τὰ δ' ἐν Βραγχίδῃσι τῆς (sec. Dindorf) Μιλησίων ἀναθήματα Κροίσῳ ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι ἴσα τε σταθμὸν καὶ ὁμοῖα τοῖσι ἐν Δέλφοῖς.

[4] Kirchhoff Studien zur Gesch. des griech. Alphabets 2. Aufl. 1867 pag. 14 u. 16.

[5] Herodot. I, 158—159.

[6] Herodot. V, 36. εἰ δὲ τὰ χρήματα καταιρεθέιη τὰ ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Βραγχίδῃσι, τὰ Κροῖσος ὁ Λυδὸς ἀνέθηκε, πολλὰς εἶχε ἐλπίδας ἐπικρατήσειν τῆς θαλάσσης· καὶ οὕτω αὐτούς τε ἕξειν χρήμασι χρᾶσθαι καὶ τοὺς πολεμίους οὐ συλήσειν αὐτά· τὰ δὲ χρήματα ἦν ταῦτα μέγαλα.

At jam, urgente Milesiorum fato, insignis calamitas etiam Didymaeo oraculo illata est. Quod quidem incommodum, teste Herodoto,[1] jam a Pythia Argivis, oraculum petentibus, praedictum est.

Καὶ τότε δή, Μίλητε, κακῶν ἐπιμήχανε ἔργων
Πολλοῖσιν δεῖπνόν τε καὶ ἀγλαὰ δῶρα γενήσῃ·
Σαὶ δ' ἄλοχοι πολλοῖσι πόδας νίψουσι κομήταις
Νηοῦ δ' ἡμετέρου Διδύμοις ἄλλοισι μελήσει.

Sed quamquam inter omnes constat Didymaei Apollinis delubrum a Persis spoliatum et igne deletum esse, tamen non convenit inter veteres scriptores, quo tempore acciderit, ut Apollinis fanum tali infortunio affectum sit.

Herodotus enim in enarranda Ionum seditione, ubi a Persis Milesiorum urbem captam et excisam esse tradidit,[2] disertis verbis testatur, oraculum et templum Didymaei Apollinis a barbaris direptum et vastatum esse. Itaque imperante Dario rege Branchidarum fanum a Persis dirutum est. Neque Herodoti auctoritati diffidere nobis licet. Qui cum haud ita multo post debellatos Persas scripserit, certissimosque testes earum, quas traditurus erat, rerum invenire potuerit, Herodoti, quasi testis fere oculati plurimi est facienda auctoritas.

Ab ejus narratione multum recedunt ei, qui tradunt Xerxem post acceptam ad Mycalen cladem, haud invitis sacerdotibus, thesauris potitum esse et templum incendisse.

Quorum in numero primus nominandus est Strabo, qui Asiam fere totam peragravit, et Didymaei delubri vastum ambitum tam diligenter descripsit, ut ipsum oculis vidisse censueris. Sed tamen in Brunnii[3] sententiam discedere nequeo, existimantis, quae apud Strabonem inveniantur, a fani sacerdotibus ei relata esse. Nam breviter modo de hac re loquitur, neque quidquam affert, quin idem apud Suidam, Curtium, alios legatur.

---

[1] Herodot. VI, 19.

[2] Herodot. VI, 19. ἱρόν τε τὸ ἐν Διδύμοισι, ὁ νηός τε καὶ τὸ χρηστήριον, συληθέντα ἐνεπίμπρατο.

[3] Die Kunst bei Homer pag. 35 (Abhandl. der k. bayr. Akademie der W. I, XI, III).

Accedit, quod in describenda Sogdiana provincia, ubi de Branchidarum oppido disputat, eisdem ferme verbis templi proditionem enarrat.

Operae pretium est, utramque narrationem juxta apponere.

XI pag. 518.	XIV pag. 634.
οὓς Ξέρξην μὲν ἱδρῦσαι αὐτόθι συναπάραντας αὐτῷ ἑκόντας ἐκ τῆς οἰκείας διὰ τὸ παραδοῦναι τὰ χρήματα τοῦ θεοῦ τὰ ἐν Διδύμοις καὶ τοὺς θησαυρούς, ἐκεῖνον δ' ἀνελεῖν, μυσαττόμενον τὴν ἱεροσυλίαν καὶ τὴν προδοσίαν	οἱ δὲ Βραγχίδαι τοὺς θησαυροὺς τοῦ θεοῦ παραδόντες τῷ Πέρσῃ φεύγοντι συναπῆραν τοῦ μὴ τῖσαι δίκας τῆς ἱεροσυλίας καὶ προδοσίας.

Quae cum tam arcte inter se cohaereant, ex uno eodemque fonte manasse dixeris. Atque certe ex auctoris cujusdam commentariis, qui res gestas Alexandri conscripsit, Strabo sua petiit. Soldanus[1] vero probabili conjectura statuit, e Callisthene Strabonem sua hausisse, cujus saepissime mentionem fecit.

Quamvis igitur verisimile sit, Strabonem Didyma pervenisse, tamen non ex sacerdotum narrationibus sua hausit.

Etiam Suidas[2] eadem ac quidem multo uberius refert. Is enim narrat, Branchidas, Xerxi faventes (Ξέρξῃ χαριζόμενοι) templum dei indigenae barbaris prodidisse, ipsos vero leges Milesiorumque vindictam veritos, cum rege aufugisse et sedes in Asiae quodam loco, a Graecia quam remotissimo, collocasse. Itaque urbem eos condidisse, neglectis avibus, et Branchidas nuncupasse. Verumtamen dei providentiam non dormivisse, (οὐ μὴν ἐκάθευδεν ἡ τοῦ θεοῦ πρόνοια). Nam Alexandrum, qui devicto et prostrato Dario, in eorum oppidulum pervenerit, totam gentis progeniem interfecisse, judicantem, ignavam esse ignavorum prolém, urbemque solo aequasse.

Haec Suidas. Iam Kusterus probabili conjectura totam hanc narrationem, religionis superstitiosae plenam, ex Aeliani libro de providentia esse desumptam censuit.

---

[1] Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1841 pag. 572.

[2] Suidas s. v. Βραγχίδαι. Aelian. ed. Hercher. II pag. 210.

Accuratius autem de eorum interitu Curtius[1] disputavit, commemorans parvulum Branchidas habitasse oppidum, quia jussu Xerxis Miletum reliquerant. Quamquam patrii mores nondum exolevissent, tamen jam bilingues fuisse „paullatim a domestico externo sermone degeneres.“ Regem igitur Graecum magno eos gaudio excepisse. Illum vero, convocatis in exercitu Milesiis, liberum de proditoribus permisisse arbitrium. Inter quos, cum de irroganda poena non convenisset, ipsum regem Branchidas ad unum omnes caedi jussisse.

A veri specie non recedit, Curtium, qui diligentissime fabulosas de Alexandro congessit narratiunculas, Clitarcho[2] usum esse duce.

Obiter modo Plutarchus rem tangit. Qui quamvis Alexandrum summis saepe laudibus celebret, tamen propterea vehementer vituperat, quod Branchidarum noxiorum insontem prolem crudeliter trucidarit.[3]

Nec aliud Curtii judicium est, dicentis:[4] „quae si in ipsos proditionis auctores excogitata essent, justa ultio esse, non crudelitas videretur: nunc culpam majorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, ideo et Xerxi non potuerant prodere.

Duo igitur fontium genera distinguenda sunt, Herodotus et scriptores, qui res gestas Alexandri enarraverunt.

Nunc vero, quid nostri aevi scriptores de Didymaei incendio statuerint, paullo accuratius examinemus. Iam facili negotio difficultatibus sese extricavit Clavierius.[5] Is enim existimat, quae Strabo, Curtius, alii tradiderint, nullius esse momenti, sed vanas posterioris aetatis fabulas. Persis enim post acceptam ad Mycalen cladem id agendum fuisse, uti Ionum animos non excitarent, sed sibi conciliarent. Dein Xerxi, ut Didymaei thesauris potiretur, auxilio Branchidarum opus non fuisse. Ipsos vero Branchidas sacerdotum gentem, non populum esse. (Quis hoc unquam dixit?)

---

[1] Curtius VII, 23 ed. Zumpt.
[2] Schoell. Griech. Litt. II, 112.
[3] Plutarch. de sera numin. vind. 12.
[4] Curtius VII, 23.
[5] Clavier mémoire sur les oracles pag. 131 ff.

Arrianum denique, qui optime res gestas Alexandri enarraverit, hanc rem silentio praeteriisse.

Cui Clavierii judicio, etiamsi cunctanter, accessit R. Geierus,[1] qui quamvis dubitet, num tota narratio a Clitarcho excogitata et efficta sit, tamen haud pauca ab eo addita esse censet, quo magis cruenta ultio a Branchidis petita Graecorum animis arrideret. Sed multo accuratius de ea re Soldanus[2] egit, quem etiam Urlichsius[3] secutus est.

Is igitur existimat, numquam fieri potuisse, ut Graecorum sacerdotes, vesania quadam correpti, templum fugienti barbarorum regi proderent, et in remotissimas Asiae latebras aufugerent. Sed hic mirus refutandi modus est. Cur quae nova et inaudita sunt, fieri omnino non possunt? Oblitus autem est Soldanus, complures commemorari sacerdotes, qui non modo templorum, sed etiam patriae proditores fuerunt.

Ita Eumedes, Minervae sacerdos, Palladium Temeno et Doriensibus, Argivorum urbem obsidentibus, tradidit, et ex urbe in Crium montem effugit.[4] Eodemmodo Crius, Achaeus vates, teste Pausania,[5] Dorienses edocuit, quomodo Lacedaemone potirentur.

Quod vero existimat, fore, ut Branchidarum nomen, si deorum indigenarum proditores fuissent, omnibus perosum esset, neque fano nomen scelere foedatum remaneret, hoc re vera accidisse videtur.

Nam in titulis, quorum magnus numerus in promptu est, Branchidae numquam nominantur. Plinius[6] vero et Pomponius Mela[7] disertis verbis declarant, oraculum Apollinis, quod olim Branchidarum nomen tenuerit, nunc Didymaeum appellari.

---

[1] Zeitschrift für Alterthumsw. pag. 827.

[2] Zeitschrift für Alterthumsw. pag. 570 ff.

[3] Rhein. Mus. 1856 pag. 7 ff.

[4] Scholia ad Callim. lavacr. Pall. v. 37. cfr. Plutarch Qu. Gr. 48.

[5] Pausanias III, 13, 3.

[6] Plinius N. H. V, 29 § 112. oppidum, oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymaei Apollinis.

[7] Pomponius Mela I, 17. Oraculum Apollinis, dictum olim Branchidae, nunc Didymei.

Neque Varro[1] neque Conon[2] obstant, qui templi origines enarrantes, antiquo nomine usi sunt. Ubi vero Strabo dicit, τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος τὸ ἐν Βραγχίδαις[3] doctrinam suam prae se ferre studet.

Mihi igitur ob eam potissimum caussam Branchidarum nomen obsolevisse videtur, quia Branchidae ipsi, templi et patriae proditores, Graecis omnibus odio fuerunt.

Alia autem, quae Soldanus affert argumenta, ex Clavierii commentatione hausta sunt. Neque vero in docti illius hominis sententiam ita discessit, ut totam de Branchidarum fuga et interitu narrationem tamquam fabulosam abjiceret. Sed Branchidas, thesaurorum proditores, Pedasenses esse censet, a Dario Milesiorum agro donatos. Pedasenses autem eam Milesii agri partem acceperunt, quae in montibus sita erat, planitiem vero et loca urbi adjacentia Persae ipsi obtinuerunt.[4]

Sed quomodo, quaeso, quae a mari non plus octodecim, stadia[5] aberant, montana, τὰ ὑπεράκρια, appellari possunt? Itaque cum Brunnio[6] statuo, interiores modo territorii Milesii partes in Pedasensium potestatem devenisse, Didyma vero, uti ipsam Milesiorum urbem, Persarum facta esse.

O. Müllerus vero,[7] etiamsi fabulam de Branchidarum interitu ob eam caussam effictam esse censeat, ut immanis in Bactrorum quandam gentem commissa crudelitas honesta specie tegeretur, tamen, quae scriptores de templo prodito narrant, pro certis habenda esse existimat. Verumtamen ad fulciendam suam sententiam argumenta nulla affert.

Sed accuratissime et optime de Branchidarum proditione et templi incendio Brunnius[8] egit, cujus in sententiam etiam

---

[1] Varro ap. Lutat. l. c.

[2] Conon ap. Photium l. c. narr. 33. 44.

[3] Strabo XIV pag. 634.

[4] Herodot. VI, 20. τῆς δὲ Μιλησίης χώρης αὐτοὶ μὲν οἱ Πέρσαι εἶχον τὰ περὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ πεδίον, τὰ δὲ ὑπεράκρια ἔδοσαν Καρσὶ Πηδασεῦσι ἐκτῆσθαι.

[5] Strabo XIV, pag. 634.

[6] Brunn l. c. pag. 34.

[7] O. Müller kl. Schriften II, pag. 540.

[8] Brunn l. c.

Overbeckius[1] abiit. Ante omnia Brunnius bene mihi demonstrasse videtur, Milesiorum urbem a Dario rege non funditus eversam, neque ad unum omnes incolas Ampen in exilium deductos esse. Nam in enarranda Mycalesia pugna Herodotus Milesiorum exercitus mentionem facit.[2] Quibus cum Persae diffiderent, jussi sunt vias, quae ad summos Mycales montes ducerent, custodire et defendere. Ibi vero inter primos a Persis desciscentes, cum Graecis societatem inierunt.

Qua ex re manifesto apparet, Herodoti verba[3] „τῆς δὲ Μιλησίης χώρης αὐτοὶ μὲν οἱ Πέρσαι εἶχον τὰ περὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ πεδίον" non ita explicanda esse, uti a Persicis colonis territorium urbis occupatum esse censeas. Sed Persae administrandae Milesiorum reipublicae praepositi sunt.

Et cum Thierschius ad condendam novam Milesiorum urbem magnam Carum et Lyciorum et Ionum[4] multitudinem confluxisse autumet, mihi contra maxima veterum incolarum pars in sedibus patriis remansisse, et optimates modo civitatisque principes Ampen in exilium deducti esse videntur.

Branchidae vero, etsi militum fera cupiditas, expugnata urbe, ne sanctissimo quidem Apollinis delubro pepercit, in terra remansisse videntur. Nam Herodotus memoriae non prodidit, sacerdotes quoque Ampen deductos esse.

Dein, uti jam vidimus, Didymaeum Persis semper favebat.

Hucusque Herodoti auctoritatem secuti sumus, et suis ipsius verbis eum refellere conati sumus. Nunc vero, quid de aliorum scriptorum narrationibus statuendum sit, paucis adumbremus.

Atque quoniam demonstravimus, auctores hos omnes ex commentariis de Alexandri magni rebus gestis hausisse, hoc mihi ante omnia certum esse videtur, Branchidas cum Xerxe in Sog-

---

[1] Overbeck Berichte d. saechs. Ges. d. Wiss. 1868 I pag. 70 sq.

[2] Herodot. IX, 99. τοῦτο δὲ τὰς διόδους τὰς ἐς τὰς κορυφὰς τῆς Μυκάλης φερούσας προστάσσουσι τοῖσι Μιλησίοισι φυλάσσειν, ὡς ἐπισταμένοισι δῆθεν μάλιστα τὴν χώρην. cfr. 104.

[3] Herodot. VI, 20.

[4] Thiersch Epochen der bildenden Kunst pag. 146. „. . . . nicht da Miletus, eine Mischung von Karern, Lykiern, Joniern und andren Asiaten, unter persischem Stabe geweidet ward."

dianam provinciam aufugisse, Macedonesque his locis eorum posteros reperisse. Cui narrationi, cur fides abroganda sit, non intellego. Persae enim amicos suos, Themistoclem, Demaratum, Gongylum, alios magno honore habuere. Sogdiani igitur Branchidae Macedonibus narraverunt, se cum Xerxe post pugnam ad Mycalen factam locos illos petiisse. Et cur dubitemus, quin tunc temporis etiam in Branchidas, jam antea Persis faventes, timor invaserit, ne a Graecis ut patriae et templi proditores vindicarentur.

Neque in Herodoti silentio haereamus. Cum enim post pugnam ad Mycalen factam narrationi suae finem imposuisset, de Branchidarum fuga nulla apud eum mentio fieri potuit.

Xerxe itaque regnante, Branchidas aufugisse statuo. Sed errore quodam factum est, uti etiam templi incendium Xerxi imputaretur. Quoniam enim scriptores illi compererunt, sacerdotes sub Xerxe se in Asiam contulisse, existimaverunt, eodem tempore delubrum spoliatum et igne haustum esse. Quod tamen jam antea, regnante Dario, accidit.

Neque credibile est post cladem ad Mycalen acceptam Persarum reliquias, quae, ingenti terrore perculsae, Sardis confugerunt, templum Apollinis incendisse.

Multo verisimilior Pausaniae narratio est, post Salaminiam calamitatem Xerxem fanum diripuisse. Sed de Canachi signo aëneo disputantes, postea pluribus hanc rem absolvemus.

Videmus ergo in eis, quae multorum scriptorum consensu nobis tradita sunt, haerendum non esse, neque propter Herodotum aliorum testimonia prorsus rejicienda esse.

Cum enim rerum ab Alexandro gestarum enarratores nimium orationem suam fabulis ornassent et illuminassent, jam eo venit, ut omnia, quae apud eos inventa essent, pro falsis existimarentur.

Quorum in spernenda auctoritate Clavierius justo plus progressus est.

Postea vero Milesii denuo Didymaeum templum erexerunt, sed tam amplum, ut nunquam ad finem perduceretur. [1]

---

[1] Strabo XIV, 634. Pausan. VII, 5. 4.

Architectis usi sunt Daphnide Milesio et Paeonio, qui etiam Ephesiae Dianae fanum aedificavit. Qui qua aetate floruerit, incertum est. Nam, cum O. Müllerus[1] intra nonagesimam et centesimam olympiadem eum vixisse existimasset, Urlichsius[2] et Brunnius[3] multo vetustiorem eum censuerunt. Urlichsius enim, simulac Graecia post Mycalensem pugnam a barbaris liberata est, templum ab eo aedificatum esse arbitratur, Brunnio contra vix credibile esse videtur ante victoriam ad Eurymedontem reportatam templum aedificari coeptum esse.

Neque quo tempore Pericles omnes Graecos adhortatus est, uti una cum Atheniensibus templa a Persis diruta denuo aedificarent,[4] Didymaeum adhuc ruinis oppressum fuisse negaverim.

Et quamquam Herodotus singulos operis sui libros non uno tenore conscripsit, tamen ex verbis: „ἐν Βραγχίδῃσι· ἦν γὰρ αὐτόθι μαντήϊον ἐκ παλαιοῦ ἱδρυμένον“[5] manifesto apparet, *tum, cum* haec verba scripsit, Didymaeum adhuc fuisse vastatum.

Mihi vero Taciti verba, a multis vexata, sed nondum explicata, ad constituendam novi templi aetatem apta esse videntur.

Is enim, ubi de confirmando asylorum jure egit,[6] dicit: „neque minus Milesios Dario rege niti.“

Qui quidem Darius nullo modo Hystaspis filius esse potest. An quis credat, direpto et exciso templo regem asyli jus donasse?

Si vero putamus, Darium Nothum, Ochum quem vocant, suo patrocinio fanum juvasse, omnia bene se habent. Is enim ab anno a. Ch. 424 usque ad a. 404 regnavit. Atque, eo regnante, templum a Paeonio aedificatum et jure asyli a Persa donatum esse censeo.

Postquam vero Macedonum victoriis Persarum imperium funditus eversum est, regum beneficiis Didymaeum oraculum denuo summam fortunam et gloriam, consecutum est.

---

1 Archäologie der Kunst I, 1, 109.
2 Rh. Mus. 1856 pag. 9.
3 Brunn l. c. pag. 36.
4 Plutarch. Pericles cap. XVII.
5 Herodot. I, 157.
6 Tac. Ann. III, LXIII.

Strabo auctor est, [1] Branchidarum fontem, cum post spoliatum combustumque templum defecisset, eo tempore denuo apertum esse, quo Alexander ad Iovis Ammonii oraculum iter fecisset.

Inter omnes autem reges, qui studio et beneficiis Didymaeum deum amplexi sunt, eminent Seleucidae, Syrorum domini. Seleuco enim Nicatori, gentis auctori et regni conditori, cum adhuc in Alexandri exercitu stipendia mereret, Didymaeus deus de futura magnitudine et felicitate responsum edidit, ita vaticinans: [2]

Μὴ σπεῦδ' Εὐρώπην, 'Ασίη τοὶ πολλὸν ἀμείνων.

Etiam rex ab oraculo appellatus est. Quo nuntio militum animos, jamjam demissos, ita accendit, uti laeti cum imperatore Babylona proficiscerentur. [3]

Quin etiam rumores circumferebantur, matrem Seleuci, Laodicen, ex accubitu Apollinis concepisse. [4] Quamobrem etiam Sigei in sollemni psephismati, in primi Antiochi honorem proposito, Apollinem ἀρχηγέτην τοῦ γένους αὐτοῦ vocarunt. [5]

Postquam vero rex factus est, statuam dei aëneam, a barbaris Ecbatana asportatam, sacerdotibus remisit. Propterea Pausanias periegeta summis laudibus regem piissimum ornat. [6]

Seleuci dux, Demonax, teste Plinio, etiam ultra Iaxarten fluvium Philesio deo altaria exstruxit. [7]

---

[1] Strabo XVII pag. 814. προστραγῳδεῖ δὲ τούτοις ὁ Καλλισθένης, ὅτι τοῦ 'Απόλλωνος τὸ ἐν Βραγχίδαις μαντεῖον ἐκλελοιπότος, ἐξ ὅτου τὸ ἱερὸν ὑπὸ τῶν Βραγχιδῶν σεσύλητο ἐπὶ Ξέρξου περσισάντων, ἐκλελοιπυίας δὲ καὶ τῆς κρήνης, τότε ἥ τε κρήνη ἀνάσχοι καὶ μαντεῖα πολλὰ οἱ Μιλησίων πρέσβεις κομίσαιεν εἰς Μέμφιν περὶ τῆς ἐκ Διὸς γενέσεως τοῦ 'Αλεξάνδρου καὶ τῆς ἐσομένης περὶ Ἄρβηλα νίκης καὶ τοῦ Δαρείου θανάτου καὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι νεωτερισμῶν.

[2] Appian. Syriac. 56.

[3] Diodor. XIX, 90. ἐν μὲν γὰρ Βραγχίδαις αὐτοῦ χρηστηριαζομένου τὸν θεὸν προσαγορεῦσαι Σέλευκον βασιλέα.

[4] Justin. XV, 4.

[5] Eckhel doctr. n. v. III, 212.

[6] Paus. VIII, 46, 3. Σέλευκον δὲ βασιλέων ἐν τοῖς μάλιστα πείθομαι καὶ ἄλλως γενέσθαι δίκαιον καὶ πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβῆ. τοῦτο μὲν γὰρ Σέλευκός ἐστιν ὁ Μιλησίοις τὸν χαλκοῦν καταπέμψας 'Απόλλωνα ἐς Βραγχίδας, ἀνακομισθέντα ἐς 'Εκβάτανα τὰ Μηδικὰ ὑπὸ Ξέρξου.

[7] Plinius VI, 15.

Ad nostram usque aetatem integer mansit titulus, qui litteras a regibus Seleuco et Antiocho datas continet, et amplissimorum regum munerum mentionem facit.[1]

Quibus in litteris praedicant, se Didymaeo Apollini magnum aureum candelabrum, calices et vasa aurea et argentea misisse, quibus ad sacra rite perpetranda Milesii uterentur. Vasa vero, quae donantur, dicuntur κομίζοντα πολιάνθην, interprete Chishullo, unguentum ex polio factum. Sed rectius mihi Boeckhius vocem explanasse videtur, qui censet, πολιάνθην esse suffimenta ea, quae in fine epistolae commemorantur, turis (λιβανωτοῦ) decem talenta, murrae unum talentum, casiae, cinnamomi, costi binae minae.

Dein etiam commemoratur, reges in splendidissimo sacrificio duodecim erexisse altaria et mille hostias mactasse.[2]

Chishullus et Boeckhius[3] statuerunt, reges illos fuisse Seleucum Callinicum et Antiochum Hieracem. Sed multo melior Soldani[4] sententia est, existimantis, reges, templi fautores, esse Seleucum Nicatorem et Antiochum Sotera. Nam Callinicus et Hierax, quamdiu una summae imperii praefuerunt, semper sese invicem bello lacessebant. Idcirco non credibile est, conjunctos illos reges Didymaeo deo dona dedicasse. Antiochus vero, Seleuci Nicatoris filius, qui Stratonicen novercam perdite amaverat et ob eam caussam gravi morbo implicitus erat, a patre impetravit, uti novercam in matrimonium duceret. Qua re perpetrata, superio-

---

[1] C. J. G. 2852. Βασιλεὺς Σέλευκος Μιλησίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν. ἀφεστάλκαμεν εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ ἐν Διδύμοις τήν τε λυχνίαν τὴν μεγάλην καὶ ποτήρια χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ εἰς ἀνάθεσιν τοῖς θεοῖς τοῖς Σωτῆρσι, κομίζοντα πολιάνθην, ἐπιγραφὰς ἔχοντα. ὑμεῖς οὖν, ὅταν παραγίνηται, λαβόντες αὐτὰ ἀγαθῇ τύχῃ ἀπόδοτε εἰς τὸ ἱερὸν, ἵνα ἔχητε σπένδειν καὶ χρᾶσθαι, ὑγιαινόντων ἡμῶν καὶ εὐτυχούντων καὶ τῆς πόλεως διαμενούσης ὡς ἐγὼ βούλομαι καὶ ὑμεῖς, εἰς ἃ ἔχετε ἀπεσταλμένῃ τῇδε πολιάνθῃ· καὶ τὴν ἀνάθεσιν ποιούμενοι τῶν ἀπεσταλμένων συντελέσατε τὴν θυσίαν, ἣν συντετάχαμεν αὐτοί. συνεπιμελήθητε οὖν, ἵνα γένηται κατὰ τρόπον. τῶν δὲ ἀφεσταλμένων χρυσωμάτων καὶ ἀργυρωμάτων εἰς τὸ ἱερὸν ὑπογέγραφα ὑμῖν τὴν γραφὴν, ἵνα εἰδῆτε καὶ τὰ γένη καὶ τὸν σταθμὸν ἑκάστου· ἔῤῥωσθε. Enumerantur singula dona, quibus regum liberalitas Milesios largita est.

[2] προσήγαγεν δὲ καὶ θυσίαν τῷ θεῷ ἱερεῖα χίλια καὶ βωμοὺς δώδεκα.

[3] Boeckh. ad. C. J. G. 2852.

[4] Zeitschrift für Alterthumswissenschaft pag. 575.

rum Asiae provinciarum rex factus est.[1] Itaque bene et Seleucus et filius in titulo nostro βασιλεῖς nominantur.

Etiam nummi Milesiorum effigie regis Antiochi signati sunt,[2] et filius ejus, Antiochus II primus ab eis deus nuncupatus est, quoniam a Timarcho tyranno eorum urbem liberaverat.[3]

Atque in titulo, a Boeckhio jure Didymis vindicato, donum „ἀνάθημα" Stratonices reginae commemoratur.[4]

Nec minus Ptolemaei oraculo benevolentiam praestabant. Ex titulo[5] enim, qui prophetarum catalogum continet, certiores fimus, Sopolidis filium, prophetam, Alexandriam profectum, a rege Ptolemaeo fores eburneas ad exornandum templum accepisse.

Etiam Bithyniae reges fano amplissima dona consecrarunt. Prusias enim venator, postquam Pergamum urbem diripuit a. Ch. 156, magnam urnam, phialam et calices duos, quos Prusiadas vocant, primitias Didymaeo Apollini misit.[6]

Praeterea Camasarye regina, fortasse Prusiae uxor, templo dona misit.[7] Atque de Nicomede Epiphane, Prusiae filio, qui patri in regno successit, Scymnus[8] haec dixit:

---

[1] Plutarch. Demetr. 38. Lucian. de Syria dea. 18.

[2] Eckhel D. N. III pag. 216.

[3] Appian. Syriac. 65.

[4] C. J. G. 2860.

[5] C. T. Newton a history of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidae. London. Day and son. 1863. vol. II part. II pag. 775 u. 776.

Qui quidem titulus a Newtonio ita restitutus est: πρεσβεύσας] δὲ καὶ εἰς 'Αλεξανδρήαν τὴν πρὸς [βασίλισσαν Κλεοπάτραν καὶ πρ]ὸς βασιλέα Πτολεμαῖον βασιλέως [Πτολεμαίου] θεοῦ νέου Διονύσου. . . . .

Sed verba εἰς 'Αλεξανδρήαν τὴν πρὸς βασίλισσαν Κλεοπάτραν recta esse nequeunt. Legendum est: εἰς 'Αλεξανδρήαν τὴν πρὸς Αἰγύπτῳ collatis Marini verbis (vita Procli 8, 1 pag. 16.) ἐπ' ὀλίγον δὲ ἐν Λυκίᾳ φοιτήσας γραμματικῷ, ἀπῆρεν εἰς τὴν πρὸς Αἰγύπτῳ 'Αλεξάνδρειαν.

[6] C. J. G. 2855. φιάλη 'Απόλλωνος Διδυμέως ἐκ τῆς ἀποσταλείσης ἀπαρχῆς ὑπὸ βασιλέως Προυσίου, ὁλκὴν ἄγουσα 'Αλεξανδρείας τρακοσίας . . . . βασιλέως Προυσίου Προυσιάδες δύο, ὁλκὴν ἄγουσαι ἡ μὲν 'Αλεξανδρείας ὀκτακοσίας καὶ δέκα, ἡ δὲ ὀκτακοσίας τριάκοντα ἕξ.

[7] βασιλίσσης Καμασαρύης . . . . χρυσοῦς ὁλκὴν ἄγων χρυσοῦς ἑκατὸν ὀγδοήκοντα ἑπτὰ ἡμίχρυσον. C. J. G. 2855. (cfr. etiam adnotationes Boeckhii).

[8] Anonymi (v. Scymni) orbis descriptio v. 55—60. — C. Müller Geogr. minor. I pag. 197.

Διὸ τῇ προθέσει σύμβουλον ἐξελεξάμην
τὸν συγκατορθώσαντα καὶ τῷ σῷ πατρὶ
τὰ τῆς βασιλείας πρότερον, ὡς ἀκούομεν
παρὰ σοί τε, βασιλεῦ, γνησίως τιμώμενον
κατὰ πάντα, τὸν Ἀπόλλωνα τὸν Διδυμῆ λέγω,
τὸν καὶ θεμιστεύοντα καὶ μουσηγέτην.

Neque coloniarum splendidissima, Cyzicus, urbis patriae delubrum neglexit, sed, uti Syriae et Bithyniae reges largitionibus opulentis ornavit.[1] Eodemmodo Asopis, Milesiorum tribus, deo canistrum obtulit.[2]

Iam ad tantum honoris et potentiae fastigium Branchidarum oraculum evectum est, uti quotannis ad celebranda magna Didymea legati undique convenirent, qui urbium dona deo offerrent.

In titulo igitur, cujus jam supra mentionem fecimus, singulae enumerantur theoriae, quae sub ductu architheori cujusdam urbium suarum dona Didymaeo templo intulerunt. Commemorantur enim dona Ephesiorum, regis Ptolemaei et Alexandrinorum, Pisicrati Rhodii, Rhodiorum, ... aris Macedonis, Stratonices reginae, Trallianorum et iterum regis Ptolemaei. Qui etiam, cum cantorum chorus phialam Apollini praebuisset, ipse sumptus fecit.[3]

Milesiorum urbs — nescimus quo tempore — a Romanis [fortasse a Sulla?] instituendorum comitiorum jure privata est, neque legibus, quae a patribus traditae erant, uti civibus licebat. Sed idem propheta, cujus jam antea mentionem fecimus, filius Sopolidis, Romam profectus, a senatu impetravit, ut pristinus reipublicae status restitueretur.[4]

Sub idem fere tempus templum ditissimum, sicuti Epidau-

---

[1] C. J. G. 2855. Κυζικηνῶν φιάλη ὁλκὴν ἄγουσα Ἀλεξανδρείας ἑκατόν C. J. G. 2858. Κυζικηνῶν φιάλη ἐφ' ἧς ἐπιγραφή, ὁλκὴ Ἀλεξάνδρειαι ἑκατόν.

[2] κανοῦν φυλῆς τῆς Ἀσωτίδος (B. Ἀσωπίδος) ὁλκὴν ἄγον Ἀλεξανδρείας πεντακοσίας. C. J. G. 2855.

[3] C. J. G. 2860.

[4] πρεσβεύσας δὲ καὶ εἰς Ῥώ[μην καὶ] καταστήσας τήν τε πρό[τερον] ἐκκλησίαν τῷ δήμῳ καὶ τοὺς νόμους. Newton Discoveries Vol. II, Part. II pag. 775. Nr. 60.

rium, Clarium, Samothracium, alia permulta, a praedonibus direptum est.[1]

Ad quam Didymaei delubri calamitatem alludere videtur Arnobius, ita referens:[2]

Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quae infinita congesserant saecula, nec unum quidem habuerit scrupulum, quod hirundinibus hospites (Varro ut dicit in Menippeis) ostenderet?

Romani vero eximio honore Milesiorum deum prosecuti sunt. Nam, teste Ulpiano, in eorum deorum fuit numero, quos senatusconsultis constitutionibusve principum heredes instituere concessum erat.[3]

Caligula imperator vastum dei templum, antea inceptum, ad finem perducere conatus est;[4] quamobrem etiam Milesii Drusillae divinos honores attribuerunt.[5]

Regnante vero Hadriano, Qu. Iulius Balbus, proconsul, Caesaris jussu, dedicationem Didymaeo deo fecit, atque opus ipsum L. Passerius Romulus,[6] legatus pro praetore curavit. Nec minus Commodus fani fautoribus adnumerandus est. Certe enim non sine caussa factum est, uti posteriore tempore magni ludi Didymei Διδύμεια Κομμόδια nuncuparentur.[7]

---

[1] Plut. Pomp. XXIV.

[2] Arnobius adv. gentes VI pag. 245 ed. Elmenhorst.

[3] Ulpian. frgm. XXII, 6. Huschke pag. 483. Deos heredes instituere non possumus praeter eos, quos senatusconsultis constitutionibusve principum instituere concessum est, sicuti Jovem Tarpejum, Apollinem Didymaeum Mileti, Martem in Gallia, Minervam Iliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Efesiam, Matrem deorum Sipylenem, quae Smyrnae colitur et caelestem Selenen, deam Carthaginis.

[4] Sueton. Calig. XXI Dio Cassius 59, 28.

[5] Eckhel D. N. Vol. II, 531.

[6] C. J. G. 2870. ἀναπληρωθέντων πάντων ἐνεχείρησεν, ἐτέλεσεν, καθιέρωσεν διὰ Κοΐντου Ἰουλίου Βάλβου ἀνθυπάτου, ἐπιμεληθέντος Λουκίου Πασσερίου Ῥωμύλου πρεσβευτοῦ καὶ ἀντιστρατηγοῦ. (Quae sequuntur apud Boekhium, cum antecedentibus non cohaerent).

[7] C. J. G. 2882 [ἀγωνοθέ]της τῶν μεγάλων Διδυμείων [Κομ]μοδίων C. J. G. 2885 C. παν(ηγυρ)ιάρχ(ου Διδυμ)είων Κομμο(δ)εί(ων).

Caracalla denique imperator per Iulium Quintinianum deo donum misit eo tempore, quo P. Egnatius Victor Lollianus iterum proconsulatu fungebatur.[1]

Usque ad ultimam Graecae religionis aetatem Didymaeum oraculum magna fruebatur auctoritate. Ita Apollonium Tyaneum divino spiritu tactum esse, affirmarunt sacerdotes.[2]

Alexander contra Abonotichites, oraculum petentes et Clarum et Mallum et Branchidas misit. Quibus autem suasit, ut Didymaeum deum consulerent, hunc versum dixit:

Βραγχίδεων ἀδύτοισι πελάζεο καὶ κλῦε χρησμῶν.[3]

Licinius imperator, cum Constantino pugnaturus, ex adyto hoc retulit responsum:

Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί
σὴ δὲ βίη λέλυται χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει.[4]

At Eusebius Pamphili auctor est, suo tempore theologos et sacerdotes nonnullos, postquam a judicibus Romanis tormentis quaesiti sunt, fallacia sua praestigiasque confessos esse. Quorum in numero et alii Christianis inimicissimi et Milesius propheta

---

[1] Lebas Asie Mineure Nr. 232. τοῦ λαμπροτάτου ὑπατικοῦ Ἰουλίου Κοιντινιανοῦ ἐκ φιλοδωρίας τοῦ Σεβαστοῦ ἐπὶ ἀνθυπάτου τὸ β̄ Ἐγνατίου Λολλιανοῦ cum nota Waddingtoni. Cum enim sub Septimio Severo Lollianus in Pannonia legatus fuisset, probabile est, proconsulatu eum sub Caracalla functum esse.

[2] Philostrat. vit. Apollon. IV, 1 ed. Kayser λόγοι τε περὶ αὐτοῦ ἐφοίτων οἱ μὲν ἐκ τοῦ Κολοφῶνι μαντείου κοινωνὸν τῆς ἑαυτοῦ σοφίας καὶ ἀτεχνῶς σοφὸν καὶ τὰ τοιαῦτα τὸν ἄνδρα ᾄδοντες, οἱ δὲ ἐκ Διδύμων, οἱ δὲ ἐκ τοῦ περὶ Περγάμον ἱεροῦ.

[3] Lucian. Alexander cap. XXIX.

[4] Sozomen. hist. eccles. I, 7 pag. 408. τοῦ προσδοκωμένου πόλεμου πρόνοιαν ἐποιεῖτο διά τε σφαγίων καὶ μαντειῶν, καὶ ὑπαχθείς τισιν ὑπισχνουμένοις αὐτῷ κρατήσειν, εἰς Ἑλληνισμὸν ἐτράπη· ἀμέλει τοίνυν καὶ Ἕλληνές φασιν αὐτὸν τότε πειραθῆναι τοῦ ἐν Μιλήτῳ μαντείου τοῦ Διδυμαίου Ἀπόλλωνος. ἐρομένῳ δὲ αὐτῷ περὶ τοῦ πολέμου χρῆσαι τὸ δαιμόνιον τουτουσὶ τοὺς Ὁμηρικοὺς στίχους (Ilias 8, 100) ὦ γέρον κτλ.

philosophusque fuere.[1] Cum titulus apud Lebasium Philidam, prophetam et Epicureum philosophum commemoret, non est cur offendamus in philosophanti Branchidarum propheta.

Novissimus vero, qui venerabundus Apollinis fanum adiit, Iulianus imperator fuit. Is enim se sorte Didymaei fani prophetam[2] creatum esse praedicat, atque sacella, quae christiani prope Apollinis fanum in martyrum honorem exstruxerunt, funditus deleri jussit.[3] Atque ex titulo apparet, imperatorem per aliquod tempus in Milesiorum agro commoratum esse.[4]

Iuliano vero defuncto, templum a Christianis, uti Eleusinium adytum, Serapeum, alia fana, devastatum ac profanatum esse videtur.

§ 3.
De Didymaeis deis eorumque cultu.

Postquam Branchidarum historiam inde ab originibus usque ad ultima saecula tractavimus, nunc ad deos ipsos eorumque cultum transeundum est.

In Milesiorum agro prope Posideum promontorium Branchidarum oppidum situm est. Abest a Milesiorum urbe CLXXX stadia, et a mari secundum Strabonem[5] octodecim, secundum

---

[1] Euseb. Pamph. praepar. evang. IV, 2, 11—13 ed. Heinichen .... ἤδη καὶ τῶν ἄγαν θεοφόρων, αὐτῶν δὴ τῶν μάλιστα ἱεροφαντῶν, θεολόγων τε αὐτοῖς καὶ προφητῶν πλείους οὐ μόνον πάλαι ἀλλὰ καὶ ἔναγχος καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπὶ τῇ θεοσοφίᾳ ταύτῃ βοηθέντες, διὰβασάνων αἰκίας ἐπὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν δικαστηρίων, τὴν πᾶσαν ἐξεφώνησαν πλάνην ἀνδρῶν ἀπάταις γίνεσθαι, καὶ γοητείαν τε τεχνασμένην τὸ πᾶν εἶναι ὁμολογήσαντες .... οἱ μέν γε αὐτοῖς ἀπὸ τῆς θαυμαστῆς ταύτης καὶ γενναίας φιλοσοφίας ὡρμῶντο, τῶν ἀμφὶ τὸν τρίβωνα καὶ τὴν ἄλλην ὀφρῦν ἀνεσπακότων, οἱ δὲ ἀπὸ τῶν ἐντέλει τῆς Ἀντιοχέων ἡλίσκοντο πόλεως, οἱ δὴ μάλιστα καὶ ἐπὶ ταῖς καθ' ἡμῶν ὕβρεσιν ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς διωγμῷ λαμπρυνόμενοι. Ἴσμεν δὲ καὶ τὸν φιλόσοφον ὁμοῦ καὶ προφήτην τὰ ὅμοια τοῖς εἰρημένοις κατὰ τὴν Μίλητον ὑπομείναντα.

[2] Julian. ep. LXII pag. 129 ed. Heiler ἔλαχον δὲ νῦν καὶ τοῦ Διδυμαίου προφητεύειν.

[3] Sozomenus hist. eccles. V, 20.

[4] Lebas As. min. Nr. 234. Φλ. Κλ. Αὐτοκρ(άτωρ) Ἰουλιανὸς Αὔγουστος ἀπὸ τῆς π(όλεως) μίλι(α) δ'.

[5] Strabo XIV pag. 634.

Plinium[1] viginti stadia. Nostro tempore in loco qui splendore templorum et frequentia peregrinantium antiquitus celebrabatur, arborum varia genera progerminant ac pullulant.[2] Neque tamen templi praesepisque vestigia omnino deleta sunt. Sed antiquorum lucorum locus mastiche, virgultis atque dumetis obrutus est, et villici vicini agros sacros tritico conseverunt, quod jam a veteribus celebratur. Orpheus[3] enim, quem vocant, Branchi campum, tritico ditissimum commemorat.

Locus ipse vel Branchidae a sacerdotibus, vel Didymi,[4] Didyma, Didymaeum a deis nominabatur.

Sed qui sunt illi Didymi? Welckerus[5] multis argumentis demonstrare conatus est, διδύμους esse Latonae geminos, Apollinem et Dianam. Verumtamen quae loco citato docte disputavit, non ex sententia veterum disputata sunt. Etenim Stephanus Byzantinus,[6] Didyma esse locum et oraculum Mileti, *Iovi et Apollini consecratum,* memoriae prodidit. Callimachus autem, poëta rerum sacrarum peritissimus, in carmine quod inscribitur Βράγχος, ita Didymaeos invocat deos:[7]

Δαίμονες εὐυμνότατοι, Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ, Διδύμων γενάρχαι.

Quibus veterum testimoniis nisus, Iovem et Apollinem deos Didymaeos vocitatos esse censeo. Nonnulli quidem,[8] qua ex caussa Iupiter a Callimacho invocatus sit, ita explicare studuerunt, ut Aeschyli versus afferrent:

---

[1] Plinius N. h. V, 29.

[2] Ionian antiquities, published with permission of the society of Dilettanti. London 1769. pag. 45 sq.

[3] Argonaut. v. 150. ἤλυθε δ' Ἐργῖνος Βράγχου πολύπυρον ἄρουραν ἐκπρολιπών.

[4] ἐς Διδύμους Paus. VII, 2, 6.

[5] F. G. Welcker Griechische Götterlehre I, 527.

[6] Stephan. Byz. s. v. Δίδυμα· τόπος καὶ μαντεῖον Μιλήτου, ἀφιερωμένον Διΐ καὶ Ἀπόλλωνι.

[7] Hephaestion de metris ed. Gaisford pag. 53. Etymol. magnum ed. Gaisford s. v. Διδυμαῖος. Bergk Anthologia Lyrica 1868 pag. 162 fragm. Callimachi Nr. 189.

[8] Soldan Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1841 pag. 563.

Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός.[1]

Στέλλειν ὅπως τάχιστα· ταῦτα γὰρ πατρὸς
Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα[2]

Sed hanc sententiam jam Hoeckius[3] refutavit. Cui in hac una re assentire nequeo, quod Iovis cultum antiquiorem, quam Apollinis esse statuit, cum Apollo Ionum deus sit. Verisimile enim est, jam antiquis temporibus Graecorum gentes Lydiae Cariaeque litora inhabitasse.

Ineptas denique etymologias, quas veterum nonnulli de voce, quae est Διδυμαῖος protulerunt, silentio praeterire mihi liceat.[4]

Recte Plinius de Branchidarum oppido locutus est. Etenim, etsi praeter sacerdotes et aedituos nemo Didymis inhabitasse videtur, tanta tamen fuit templorum abundantia, ut bene oppidi nomine Branchidae ornarentur. Strabo enim refert,[5] murum, qui delubrum circumdabat, vici totius habitationes excepisse, atque intra et extra murum lucos esse amoenos; praeterea etiam alia esse fana et sacella et Philesii dei oraculum.

Templa vero, quorum apud Branchidas mentio fit, haec sunt:

1. Apollinis maximum delubrum.
2. sedes oraculi, quam Strabo apertis verbis ab Apollinis templo distinguit. Eodemmodo etiam Herodotus[6] templum ab oraculo discernit „ὁ νηός τε καὶ τὸ χρηστήριον“ et Conon[7] „Βράγχος προὐστήκει τοῦ ἱεροῦ καὶ τοῦ μαντείου.“
3. templum Dianae Pythiae.
4. Cabirorum fanum.

Sed nunc de singulis Branchidarum deis eorumque sacerdotibus agere nobis liceat. Iovis fanum nusquam commemoratur.

---

[1] Aesch. Eumenid. v. 19.

[2] Aesch. frgm. ex tragoedia quae inscribitur ἱερεῖς, servatum a Macrobio Saturn. V, 22.

[3] Hoeck Kreta II pag. 322.

[4] Lucian. de astrolog. 23. Macrob. Sat. I, 17.

[5] Strabo XIV pag. 634. Κώμης γοῦν κατοικίαν ὁ τοῦ σηκοῦ περιβόλος δέδεκται καὶ ἄλσος ἐντός τε καὶ ἐκτὸς πολυτελές· ἄλλοι δὲ σηκοὶ τὸ μαντεῖον καὶ τὸ ἱερὸν συνέχουσιν.

[6] Herodotus VI, 19.

[7] Conon narrat. 44. apud Photium patr. cod. 186.

Et cum ipse et Apollo, διδύμων nomine ornati, arctissime inter se cohaereant, valde probabile est, cellam quandam in magno Apollinis delubro Iovi patri, sicuti Erechtheo sacellum in Minervae Poliadis templo, consecratum fuisse.

Θεοὺς igitur συννάους eos fuisse existimo. Unus modo exstat locus, quo de Iovis Didymaei sacris agitur. Affertur enim ab Athenaeo [1] ex Nicandri, Clarii sacerdotis, primo rerum Aetolicarum libro, hederae foliis libamenta Iovi patri data esse.

Nunc vero ad Apollinis splendidissimum cultum nos convertamus. Iam antea Strabonis [2] locum attulimus, qui memoriae prodidit, Milesios Branchidarum fanum, a Persis incensum, de integro condere coepisse. Aedificandi autem descriptio tanta fuit, ut numquam ad finem perduceretur. [3]

Templum magnificentissimum διπτέρων δεκαστύλων ordini ascribendum est. [4]

At Christiani et Mahomedani in destruendo Branchidarum sacro summum studium collocarunt. Chandlerus enim memoriae prodidit, [5] christianam ecclesiam, jam suo tempore devastatam, ex aedis Graecae columnis lapidibusque aedificatam esse, et Mahomedanos vicinos templo lautumiae loco usos esse, ita ut ex pristina magnificentia quatuor modo columnae incolumes remanserint, quas Whelerus quidem vidit. Chandleri autem aetate duae jam corruerunt, ita ut et in Ionicis antiquitatibus et in graphico itinerario, quod illustrissimus comes de Choiseul [6] conscripsit, duae modo columnae delineatae sint.

In templo signum Apollinis fuit aëneum excelsa magnitudine, quod diligenter a Plinio descriptum est. [7]

---

[1] Athenaeus XI pag. 477 B. ἐν τῇ ἱεροποιΐῃ τοῦ Διδυμαίου Διὸς κισσοῦ σπονδοποιέονται, ὅθεν τὰ ἀρχαῖα ἐκπώματα κισσύβια φωνέεται.

[2] Strabo XIV, pag. 634.

[3] Pausanias VII, 5, 4 δύο δὲ οὐκ ἐξειργασμένα (scil. ἱερά) Ἀπόλλωνος, τό τε ἐν Βραγχίδαις τῆς Μιλησίας καὶ ἐν Κλάρῳ τῇ Κολοφωνίων.

[4] O. Müller Archäologie der Kunst pag. 97.

[5] Ionian Antiquities I, pag. 45, 46.

[6] M. le comte de Choiseul-Gouffier voyage pittoresque de la Grèce Tom. I. Paris 1782.

[7] Plinius N. H. XXXIV, 19 § 75.

„Canachus Apollinem nudum, qui Philesius cognominatur, in Didymaeo, Aeginetica aeris temperatura fecit, cervumque una ita vestigiis suspendit, ut linum subter pedes trahatur, alterno morsu digitis calceque retinentibus solum, ita vertebrato dente, utrisque in partibus, ut a repulsu per vices resiliat."

Odofredus Müllerus [1] praeclare demonstravit, exempla quaedam illius statuae usque ad nostram aetatem pervenisse. Nam Apollinis nonnulla signa, prisco veterum artificum more ficta, Apollinis imagini simillima sunt, qua Milesii nummos suos signaverunt, atque a probabilitate non recedit, in nummis illis ipsam Philesii Apollinis effigiem, a Canacho fictam, esse expressam. Verum, ne quae Muellerus optime disseruit, denuo repetam, hoc loco subsistam.

Praeter Plinium etiam Pausanias Apollinis Didymaei simulacrum commemorat. In libro octavo [2] refert, Xerxen Milesiis, quod illi de industria navali contra Athenienses in Graecia praelio commisso, infeliciter pugnassent, aëneum, qui Branchidis fuerat, Apollinem ademisse, multis vero annis post Seleucum Milesiis remisisse.

Similiter in primo libro [3] summis laudibus effert Seleucum, piissimum regem, qui Apollinem a barbaris Ecbatana in Medorum terram transportatum, sacerdotibus remiserit. Atque de Ismenio Thebanorum Apolline disputans, [4] qui sicuti Philesius a Canacho fictus est, nil inter se differre duas illas statuas affirmat, nisi quod Thebanus cedrinus, Milesius contra aëneus sit.

Sed cum de tempore, quo vixit Canachus artifex, antea nil pro certo constaret, Thierschius [5] primus probavit, duos distinguendos esse Canachos, quorum alter circa Olympiadem XCV, alter vero multo ante eam Olympiadem floruerit.

Verumtamen miror, Soldanum, [6] qui et O. Muellerum et

---

[1] O. Müller kleine Schriften II pag. 542 (c. not. 1) pag. 543 (c. not. 3 et 4) pag. 544 (c. not. 1 et 2).

[2] Pausan. VIII, 46, 3.

[3] Pausan. I, XVI, 3.

[4] Pausan. IX, 10, 2.

[5] Thiersch Epochen pag. 142 ff.

[6] Zeitschrift für Alterthumswissenschaft pag. 549.

Thierschium commemoravit, aëneam Apollinis statuam a Canacho, Polycleti discipulo, fictam esse censere. Nam quomodo Xerxes vel Darius simulacrum subducere potuit, quod ab artifice, his regibus aetate minore, fictum est? Quam statuam, quominus aliam fuisse putemus, prohibent veterum testimonia, quae dilucide probant, Apollinem aënum, Canachi opus, et simulacrum a Persarum rege abreptum, unum idemque esse.

Si vero de tempore, quo illa statua ficta sit, nobis agendum est, Soldani [1] et Urlichsii [2] sententiam missam faciam, qui jam a Dario rege abreptum Apollinem esse statuunt. Nam in eis, quae antecedunt, probasse mihi videor, narrationem de Branchidarum fuga non fabulae instar abjiciendam esse.

Nulla ergo caussa est, cur repudiatis veterum luculentis testimoniis, a Xerxe rege simulacrum subductum esse negemus.

Itaque ante pugnam Salaminiam simulacrum a Canacho fictum esse necesse est. Sed nil aliud certis argumentis enucleari posse bene monuit Overbeckius. [3]

Nam utrum multis annis ante Darium an post urbis templique incendium statua ficta sit, dijudicare non possumus.

Thierschius vero, qui florentissimis Milesiorum rebus multis ante Ionum seditionem annis fictam esse dei imaginem censuit, sub divo colossum fuisse arbitratus est. [4] Sed consentiente Urlichsio hanc Thierschii sententiam refutavit Brunnius, qui ipsius templi simulacrum a Canacho factum esse censet. Neque tamen ei concedendum est statuam, postquam delubrum a Dario incensum et devastatum est, a Thebanis Philesio deo dono missam esse. [5]

Cur fieri non potuit, ut a sacerdotibus simulacrum, jam antea fictum, in hoc rerum discrimine servaretur? [6]

---

[1] Zeitschrift für Alterthumswissenschaft pag. 574.
[2] Rhein. Mus. 1856. pag. 8.
[3] Bericht der sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1868 I pag. 73.
[4] Epochen der bildenden Kunst pag. 133.
[5] Brunn die Kunst bei Homer pag. 33.
[6] Etiam Overbeckius ante urbis excidium fictum esse Apollinem censet (l. c. pag. 75).

Verum ne in plane incertis longius aequo commorer, hic subsistam.

Nemo jam dubitabit, quin tantae auctoritatis fanum magna sacerdotum caterva frequentatum fuerit. Quorum in numero principem locum obtinuit ὁ στεφανηφόρος, cujus in titulis saepissime mentio fit.[1]

Sed fortasse quispiam dixerit, non recte pro sacerdote haberi illum στεφανηφόρον. Etenim fere in omnibus Cariae urbibus, Mylasis,[2] Stratoniceae,[3] Aphrodisiade,[4] Iasi,[5] Halicarnassi[6] stephanephori magistratuum munere funguntur, et „ἄρχοντες ἐπώνυμοι" sunt. Accedit, quod fere omnibus titulis Milesiacis stephanephori nomen tamquam summi magistratus ascriptum est.

Verumtamen in contrariam partem haec dicenda sunt. Primum enim summus apud Milesios magistratus, teste Aristotele,[7] prytanis nuncupatur. Atque in titulis[8] commemoratur ὁ ἀρχιπρύτανις.

Dein nusquam, nisi in sacris titulis, qui ad templum Didymaeum sacerdotesque spectant, stephanephori mentio fit. Itaque quemadmodum in Acarnanum titulis praeter civilem eponymum etiam sacer commemoratur, ὁ ἱεράπολος,[9] qui vocatur, et sicuti Oropi eponymus civilis ὁ ἄρχων, sacer autem ὁ τοῦ Ἀμφιαράου ἱερεὺς[10] fuit, ita etiam Branchidarum sacrum eponymum stephanephorum fuisse censeo. Ideo ejus nomen in sacrorum titulorum initio exstat. Quamobrem etiam legimus, festos Apollinis dies celebratos esse ex decreto praetorum et stephanephororum,[11] uti civiles et sacri magistratus una id navarent. Tum vero in titulo

---

[1] C. J. G. 2852. 2853. 2855 etc.
[2] C. J. G. 2693 c. 2693 e. etc.
[3] C. J. G. 2715.
[4] C. J. G. 2766.
[5] C. J. G. 2673. 2674. 2675. 2677 etc.
[6] Newton Discoveries II, 2 pag. 703 Nr. 12 a.
[7] Aristot. Polit. VIII, pag. 203, 16 ed. Bekker.
[8] C. J. G. 2881 et 2878.
[9] C. J. G. 1793.
[10] Rhangab. antiqu. hellén. Nr. 679.
[11] Lebas voy. archéol. Inscr. Nr. 222.

quodam nominatur στεφανηφόρος τοῦ θεοῦ. Quo ex nomine manifesto apparet, Apollinis eum sacerdotem fuisse. Denique etiam aliis in urbibus στεφανηφόροι inveniuntur, qui sacerdotum munere functi sunt. Ita apud Tarsenses stephanephorus Herculis sacerdotio ornatus fuit. [1]

Pari modo Magnesiae stephanephorus Minervae sacerdos fuit. [2]

Videmus igitur stephanephorum apud Branchidas templi Apollinis antistitem fuisse.

Secundum deinde locum propheta obtinuit. Quamquam non ipse vaticinatur, tamen vaticinia interpretatur, χρησμῳδιῶν ἐξηγητής ἐστι. Proprius vero poëta, qui oracula versu inclusit, nusquam commemoratur. Nam false a Soldano [3] et Wolffio [4] titulus quidam explicatus est. Ibi enim invenimus: [5] προφητεύοντος δὲ Ἀντιπάτρου τοῦ Μενεστράτου, κατὰ ποίησιν δὲ Μενάνδρου τοῦ Μαίωνος. „κατὰ ποίησιν" significat καθ' υἱοθεσίαν. Menander igitur non versus pepigit, sed Antipatrum adoptavit. [6]

Oracula vero ipsa, uti Delphis Pythia et Dodonae ἡ Πελειάς, Didymis femina fatidica edidit. Cuius quamvis neque bonae aetatis scriptores neque tituli mentionem faciant, tamen nulla caussa est, cur Origeni [7] et Iamblicho [8] diffidamus, quorum alter cum

---

[1] Athenaeus V pag. 215 b. καὶ Ταρσοῦ Λυσίας ἐτυράννησε, ὃς ὑπὸ τῆς πατρίδος στεφανηφόρος αἱρεθεὶς, τοῦτ' ἔστιν ἱερεὺς Ἡρακλέους, οὐκ ἀπέθετο τὴν ἀρχήν.

[2] Athen. XII pag. 533 d et e. Πόσσις δ' ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν ἀναλαβόντα, θῦσαι τῇ Ἀθηνᾷ καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι.

[3] Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1841 pag. 577.

[4] Wolff de nov. orac. aetat. pag. 11.

[5] C. J. G. 2855.

[6] Boekhius annot. ad C. J. G. 2880.

[7] Origenes ctr. Celsum I, 70 pag. 130 ed. Lommatzsch. λελέξεται γὰρ πρὸς αὐτὸν, ὅτι χρῆται ὁ πεπιστευμένος παρ' Ἕλλησι εἶναι θεὸς, ὁ Πύθιος, καὶ ὁ Διδυμεὺς τοιᾷδε φωνῇ τῇ τῆς Πυθίας ἢ τῆς ἐν Μιλήτῳ γενομένης προφήτιδος.

[8] Iamblichus de myster. pag. 127 ed. Parthey καὶ μὴν ἥγε ἐν Βραγχίδαις γυνὴ χρησμῳδὸς, εἴτε ῥάβδον ἔχουσα τὴν πρώτως ὑπὸ θεοῦ τινος παραδοθεῖσαν, πληροῦται τῆς θείας αὐγῆς, εἴτε ἐπὶ ἄξονος καθημένη, προλέγει τὸ μέλλον, εἴτε τοὺς πόδας ἢ κράσπεδόν τι τέγγουσα τῷ ὕδατι, ἢ ἐκ τοῦ ὕδατος

Pythia Milesiorum prophetidem comparat, alter autem accuratissime vaticinandi apud Branchidas ritus et caerimonias descripsit.

Is vero refert, feminam fatidicam, sive virgam manu tenentem, a deorum aliquo traditam, sive in axe sedentem, sive pedes aut limbum in aqua tinguentem, sive ex aqua vaporem haurientem, deum suscepisse et futura cecinisse.

Sed multis demum caerimoniis, lavacris, jejunio per triduum servato, recessu in adytum prophetidem eo pervenisse affirmat, uti parato animo deum susciperet.

Prophetis igitur, uti Clarius vates, ὑδρομάντεων ordini adnumeranda est. Ex aqua enim vaticinabatur.

Sed multo majore auctoritate propheta fructus est, qui inter Didymaeos sacerdotes insignem locum obtinuit.

Cum ergo summa ejus dignitas esset, non ex omni populo, sed ex certis quibusdam sacerdotum familiis eligebatur.

Quamobrem Menander propheta sese ἔκγονον ἀρχιερέων, στεφανηφόρων, προφητῶν esse praedicat[1] et pariter T. Flavius Andreas sese ex stephanephororum et prophetarum gente prognatum dicit.[2]

Eodemmodo Laginensis sacerdos, Aelius Neon, cum magna gravitate enuntiat, se et uxorem esse ἱερεῖς ἐξ ἱερέων,[3] et Ulpia Euodia Mudiane, Dianae Ephesiae sacerdos, ex sacerdotum et 'κοσμητειρῶν', gente procreata est.[4]

Itaque in titulis saepe eadem nomina inveniuntur. Commemoratur Damas quidam propheta,[5] in alio vero Damae filius;[6]

ἀτμιζομένη, δέχεται τὸν θεόν . . . Δηλοῖ δὲ καὶ τὸ τῶν θυσιῶν πλῆθος καὶ ὁ θεσμὸς τῆς ὅλης ἁγιστείας καὶ ὅσα ἄλλα δρᾶται πρὸ τῆς χρησμῳδίας θεοπρεπῶς, τά τε λουτρὰ τῆς προφήτιδος καὶ ἡ τῶν τριῶν ὅλων ἡμερῶν ἀσιτία, καὶ ἡ ἐν ἀδύτοις αὐτῆς διατριβὴ καὶ ἐχομένης ἤδη τῷ φωτὶ καὶ τερπομένης ἐν πολλῷ χρόνῳ.

[1] C. J. G. 2881.

[2] Newton Discoveries Nr. 61. pag. 777.

[3] Newton l. c. pag. 791. Nr. 96.

[4] C. J. G. 3002.

[5] C. J. G. 2869.

[6] C. J. G. 2880.

etiam Antipater[1] et alio loco Antipatri[2] filius, Posidonii filius[3] et alius recentior Posidonius,[4] Menandri adoptivus[5] et alius recentior Menander[6] nominantur. Qua re probatur, certas quasdam familias prophetiam capessivisse.[7]

Iam antea de primordiis Branchidarum disputantes, nonnullarum sacerdotum familiarum mentionem fecimus:

1) Branchidarum. 2) Euangelidarum. 3) Trambelidarum. Sed exstant aliqua apud scriptores testimonia, alias quasdam praeter jam commemoratas sacerdotum gentes Didymis fuisse.

4) *Cleochidas:* ex doctis Apollonii Rhodii scholiis[8] certiores fimus, Apollinis et Ariae filium fuisse Miletum. Ariae patrem Cleochum nuncupant, atque Clemens Alexandrinus[9] Clearchum quendam in Didymaeo sepultum esse tradidit. Apud Arnobium[10] autem, qui Clementem exscripsit, recte Cleochus nominatur. Sed in templo sacerdotes sepeliuntur. Atque mihi verisimile est, Cleochum, auctorem gentis Cleochidarum, eodemmodo in Apollinis templo sepultum esse, quo Cinyras et ejus progenies in Paphiae Veneris delubro.[11]

5) *Bacchiadas:* Apud Hesychium[12] invenimus, Bacchiadas non solum Milesiam, sed etiam Corinthiam gentem fuisse. Cum pro certo sciamus, inter Clarii fani sacerdotes Bacchiadas[13] fuisse, probabile est, etiam Milesios Bacchiadas Apollinis fuisse sacerdotes. Nam Clarium et Didymaeum delubrum arctissime inter se conjuncta sunt.

---

[1] C. J. G. 2855.
[2] C. J. G. 2857.
[3] C. J. G. 2854.
[4] C. J. G. 2884.
[5] C. J. G. 2855.
[6] C. J. G. 2881.
[7] Boeckh. adnot. ad. 2880.
[8] Scholia ad Apoll. Rhod. Argon. I, 186.
[9] Clem. adm. ad gentes pag. 29 B. ed. Sylb. Λέανδρος δὲ Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τεθάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν.
[10] Arnobius adv. gentes ed. Elmenh. II pag. 218.
[11] Clemens l. c.
[12] Hesych. s. v. Βακχιάδαι οὐ μόνον Μιλήσιοι, ἀλλὰ καὶ Κορίνθιοι.
[13] Scholia in Nicandr. Alexiph. 11.

6) γένος ἀπ' Αἴαντος: in titulo apud Lebasium Philidas, Heracleonis filius, propheta, se philosophum epicureum et ex Ajacis gente prognatum esse gloriatur. [1]

7) Flavianus Phileas, [2] Didymaei Apollinis propheta, se esse πατέρων γένους ναυάρχων καὶ κτιστῶν affirmat, ac pari modo Menander [3] propheta est „γένους τῶν κτισάντων τὴν πόλιν.“ Intellegimus ergo, nobilissimas et antiquissimas Milesiorum familias, quae ex Athenis originem duxerunt, sacerdotii honorem summo studio petivisse.

Propheta per annum munere suo fungebatur, uti liquet ex prophetarum catalogo, quem Newtonius Britannus juris publici fecit. Ibi enim propheta quidam recensetur, [4] Philidae filius, atque additur, eodem anno filiam hydrophoria functam esse. „Annus“ aperte de anno dignitatis propheticae intellegendus est.

Prophetae e certo candidatorum numero eligebantur. Qui vero semel munere functus erat, raro denuo propheta factus est, ita ut in titulo, qui in honorem Claudii Damae scriptus est, dilucide notaretur, eum bis hunc honorem esse assecutum.

Qui quidem propheta, unum et octoginta annos natus, iterum propheta creatus est, et patrios ritus caerimoniasque in templo restituit. [5]

Quem quidem titulum valde mutilatum esse, magnopere doleo. Nam Claudius Damas propheta, qui antiquos ritus renovavit, homo gravissimus et magnae apud Milesios auctoritatis fuisse videtur.

Quin etiam ter prophetam dignitate sua fructum esse, titulus elegiaco metro conscriptus, testatur: [6]

Εὐσεβέσιν κλήροις, Ποσ(ε)ιδώνιε, τρίς σε λαχόντα
Δέρκομαι ἐν Διδύμοις στέμμασιν ἀθανάτοις.
Τοῖον δν 'Απόλλων σε προφήτην ἠσπάσατ' αὐτός,
Λῆμμα, κρίσιν μητρὸς τ' εὐσεβίην δικάσας.
Οὐ κλέος οὐδ' αἰὼν ἐπιλήσεται· ἄνδρα γὰρ εἶδεν
Τῶν πρὶν λειτουργῶν οὐδενὶ λειπόμενον.

---

[1] Lebas voyag. archéol. Inscr. Tom. III Nr. 239.

[2] C. J. G. 2880. — [3] C. J. G. 2881.

[4] Newton Discoveries II, 2 Nr. 60 [ὁ δεῖνα] Φιλίδου. ἐν δὲ τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ ὑδροφόρει ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Χρυσώ.

[5] C. J. G. 2884. — [6] C. J. G. 2884.

Ex voce quae est κρίσιν apparet, qui de prophetia sortirentur, antea probatos esse „δοκιμασίᾳ“ aliqua, quae ad gentem, parentes, innocentiam, integritatem pertinebat. Quare πρόκριτοι facti sunt, quibus facultas est de sacerdotiis et similibus muneribus sortiendi.[1]

Quo ex titulo docemur sacerdotali vitta prophetam aeque ac stephanephorum redimitum fuisse.

Idem quoque sequitur ex titulo quodam detruncato, qui versibus elegiacis Heracleonem, Niciadae filium, prophetam celebrat.[2]

Αὐτὸς ὁ (Λ)οξιδίας (ἀρ)ε(τῆς) . . . .
Μάρτυρας εὐσεβίης κλῶνας (ἐπὶ κ)ροτά(φοις)
'Αργεννο(ῖς τ)ε θεοῦ στ(εφθ)έ(ντ)α . . . .

Nonnunquam autem Milesiorum senatus prophetam, omissis sortibus, ex suo arbitrio constituit.[3]

Alius denique titulus, a Cyrillo metropolita neglegentissime transscriptus, προστάτην τοῦ Διδυμέως 'Απόλλωνος commemorat. Cum nil certi de Apollinis antistite nobis traditum sit, satis erit eum commemorasse.[4]

Ad celebrandum Didymaei Apollinis cultum dies festos magna cum pompa et cum splendore magnifico agebant. Prophetarum vero munus fuit, sumptus vel maximos sustinere. Quin etiam praeter debitas largitiones aedificia construxerunt, quae populi usui destinata fuere.[5] Quotannis dies festi Apollini celebrabantur.[6]

---

[1] Boeckhii adnot. ad. 2884. Welcker sylloge Epigr. Gr. Nr. 161.

[2] Lebas voyage archéol. Inscr. Nr. 243. Wadding. in comment. pg. 84.

[3] C. J. G. 2882. . . . . Φλαβιανὸς Φιλέας, λαβὼν παρὰ τῆς πατρίδος τὴν προφητείαν, ἀκληρωτεὶ ἐτῶν ὢν εἴκοσι τριῶν.

[4] Titulus in Ἑρμῇ λογίῳ a. 1812 et apud Boeckhium ita scriptus est: (C. J. G. 2882) γενόμενος . . . . τῆς τῶν μεγάλων Διδυμείων . . . μοδίων . . . . ομονος προστάτης Διδυμέως 'Απόλλωνος, κώταρχος κτλ. fortasse legendum est: γενόμενος ἀγωνοθέτης τῶν μεγάλων Διδυμείων Κομμοδίων, γενόμενος προφήτης Διδυμέως 'Απόλλωνος, κώταρχος κτλ. cfr. 2880 et 2881. Atque eo potius errasse existimo Cyrillum, quod in fine invenimus . . . ἐν τῷ αὐτῷ τῆς προφητείας (ἐνιαυτῷ ἐνδειξάμενος) εὐσέβειαν κτλ.

[5] C. J. G. 2881.

[6] Lebas voy. archéol. Nr. 222 (δοχ)θέντος τοῖς στε(φανηφό)ροις καὶ

Sed summo cum splendore magna Didymea, τὰ μέγαλα Διδύμεια, agebantur. Quae, uti Olympia, Panathenaïca, alia non quotannis, sed quarto quoque anno celebrata esse videntur. Quodsi concedimus, facillime titulus explicari potest, quem Waddingtonius se intellegere negavit. [1] Titulus autem ita legitur:

προφήτης Στράτων Διογένους, αὐτοέτης πανηγυρικός, δήμου Λερίων. [2]

Cum prophetae annuo munere fungerentur, Straton dicere voluit, se eo anno prophetasse, quo Didymeorum ludi celebrabantur. Quo cum titulo Laginensis comparandus est:

Ἱερεὺς Ἑκάτων .... κατὰ πενταετηρίδα. [3]

Sollemnia autem, quae et gymnica et musica fuerunt, in ipso templo, videlicet intra septum sacratum, celebrabantur. [4]

Ludis praesidebat ὁ ἀγωνοθέτης τῶν μεγάλων Διδυμείων, [5] etiam ὁ πανηγυριαρχήσας τῶν μεγάλων Διδυμείων appellatus. [6] Ad quem honorem prophetae, stephanephori, quaestores templi, denique ei, qui de templo optime meriti erant, ascenderunt. [7] Ludos etiam musicos fuisse ex eo sequitur, quod Menander χορηγὸς τῶν ἀρίστων χορηγιῶν nominatur. [8]

Uti igitur stephanephoro et prophetae Apollinis sacra perpetranda sunt, ita Dianae sacerdotio virgo fungitur, ἡ Ὑδροφόρος Ἀρτέμιδος Πυθίης, quae vocatur. Non recte mihi Soldanus [9] statuisse videtur, Dianam et Apollinem θεοὺς συννάους fuisse. Proprium enim Dianae templum titulis nobis notum est. [10] Neque

---

τοῖς στρατηγ(οῖς ὅπω)ς πρόνοια γένηται .... εἰς τὴν ὀφείλουσαν (Ἀπό)λλ(ωνι) (Διδυμεῖ) θυσίαν καὶ ἱ(ερ)ο(μην)ίαν (ποιε)ῖσθαι, καθὼς ἐθίζεται . . .

[1] Waddingt. in comment. ad. Lebas voy. arch. pag. 84. „Quant à l'expression αὐτοέτης πανηγυρικὸς, je ne comprends pas ce qu'elle signifie."

[2] Lebas voy. archéol. Nr. 239.

[3] Newton Discoveries II, 2 Nr. 102.

[4] C. J. G. 2888. νικήσαντα τὰ μέγαλα Διδύμεια πάλην τρὶς κατὰ τὸ ἑξῆς ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος. Newton l. c. Nr. 59. pag. 774 ἀγαθῇ τύχῃ Λεύκιον Λευκίου νικήσαντα τὰ μέγαλα Διδύμεια . . . .

[5] C. J. G. 2881.

[6] Lebas Inscr. 229.

[7] C. J. G. 2881. Lebas Inscr. 229.

[8] C. J. G. 2881.

[9] Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1841 pag. 583.

[10] Lebas Inscr. 228. C. J. G. 2883 d.

rectius de Apollinis prophetide mihi disputasse videtur, quae ipsa illa Dianae hydrophoros sit.[1] Sed quomodo una eademque Apollinis mulier fatidica et Dianae sacerdos esse potest? Neque ex titulis liquet, Hydrophoron vaticinatam esse; sed mysteriis praesedit.

Dianae sacerdos pari modo ac propheta in annum creabatur.[2] Atque Malia Rufina, hydrophoros, se ex prophetarum et stephanephororum gente prognatam esse jactat, quod pater et avus et majores et cognati omnes summis reipublicae et oraculi muneribus functi sunt.[3] Intellegimus itaque, Dianae antistitem ex eisdem familiis ac Apollinis sacerdotes captam esse.

Quamvis nusquam expressis verbis annotatum sit, tamen valde probabile est, Dianae apud Branchidas antistitem virginem fuisse. Ea enim dea fere semper castitatis religionem sacerdotibus imperavit. Itaque, teste Pausania, Aegirae,[4] Calydone,[5] Patris,[6] Orchomeni,[7] Spartae[8] virgo Dianae sacra perpetravit. Plutarchus[9] vero Ephesiae Dianae tres sacerdotes, quas Mellieren, Hieren et Parieren nuncupat, cum Vestae virginibus comparat, ita ut etiam Ephesias sacerdotes castimoniam servasse intellegamus.

In mysteriis, quae Dianae apud Branchidas celebrabantur, sacerdoti maxime curae esse debuit, uti ritus et caerimoniae pie sancteque perpetrarentur.[10]

Ex nonnullis vestigiis sequitur, Dianae sacerdotem ditissimam fuisse et maxima ex agris vectigalia percepisse. Primum

[1] l. c. pag. 578 u. 583.
[2] Newton l. c. Nr. 60.
[3] C. J. G. 2885.
[4] Pausan. VII, 26, 5.
[5] Pausan. VII, 18, 12.
[6] Pausan. VII, 18, 12.
[7] Pausan. VIII, V, 11 et 13, 1.
[8] Pausan. III, 18, 4.
[9] Plutarch. an seni sit ger. resp. XXIV.
[10] C. J. G. 2885. τελέσασα τὴν ὑδροφορίαν εὐαρέστως τοῖς πολίταις. C. J. G. 2886 ποιήσασα τὰ μυστήρια πάντα εὐσεβῶς τοῖς θεοῖς. Lebas Nr. 228 et C. J. G. 2885 d. πληρώσασα δὲ καὶ τὴν ὑδροφορίαν ἀξίως τοῦ γένους, φιλοτείμως, καὶ τὰ μὲν μυστήρια ἐκτενῶς τελέσασα.

enim, quae sacerdotio functae erant, ad exornandum templum luculenta dona, aulaea, aëneas portas, alia deae consecraverunt.[1]

Dein diebus festis Dianae sacerdos Milesios hospitio recipiens, senatoribus, mulieribus, virginibus magnas pecunias distribuit.[2]

Nemus et loca, Dianae templo adjacentia, aquarum abundantia, quae Dianae consecratae erant, insignia fuerunt. Itaque in titulo, qui in honorem hydrophori Theogenidis scriptus est, commemoratur, eam primam cum fratribus et cognatis quibusdam fontem fodisse et aquaeductum exstruxisse.[3]

Quas ob caussas in honorem nonnullarum sacerdotum senatusdecreta palam facta sunt.[4]

Nunc vero ad Cabirorum sacra nos convertamus. Et quoniam de origine et genere horum deorum magna inter viros doctos dissensio est, id solum commemoro, me Moversii[5] sententiam secutum esse, qui Phoenicum deos Cabiros esse statuit.

Vox enim, quae est כַּבִּיר Semiticis linguis magnum et potentem valet.[6] Atque jam veteres recte ita Cabirorum nomen explicaverunt: „θεοὶ μεγάλοι, θεοὶ δυνατοὶ, θεοὶ χρηστοί."[7] Venus quoque Arabum lingua Cabira, dea potens, vocari traditur.[8] Si-

---

[1] C. J. G. 2886 ἀνέθηκε δὲ τῇ Ἀρτέμιδι τὸ παραπέτασμα. C. J. G. 2885 d. et Lebas Nr. 228. ἀναθεῖσα δὲ (ἐκ τῶ)ν ἰδίων καὶ τὰς χαλκᾶς θύρας τοῦ (ἄλσους) (τ)ῆς Ἀρτέμιδος καὶ τὰ λίθινα(βήματα σ)ὺν ὑπερθύρῳ καὶ ὁδῷ ἐπὶ τὸν ναόν.

[2] C. J. G. 2883 C. Lebas Nr. 227. Waddingt. pag. 82. ἑστιάσασα πάντας τοὺς πολείτας ἐπὶ ἡμέρας ιγ, (δοῦσα δὲ) καὶ διανομὰς τοῖς ἐκ να(οῦ γ)υναιξὶν καὶ ταῖς παρθένοις, ποιήσασα δὲ καὶ τοῖς παισὶ τὰ δεῖπνα ἐν τοῖς Ανθ(εστηρί)οις . . . . ἐπὶ ἡμέρας δι, δοῦσα δὲ τῇ ἱερᾷ βουλῇ διανομάς. C. J. G. 2885 d. Lebas Nr. 228. C. J. G. 2886.

[3] κατεσκεύασε δὲ πρώτη ὑδροφόρων . . . . τοὺς κήπους? . . . καὶ φρέατα καὶ ὑδρεῖα . . . καὶ τὰς κρήνας ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ τῆς Ἀρτέμιδος καὶ τὸ ὕδωρ ἐκ τῶν ἰδίων καθιέρωσεν τοῖς θεοῖς. C. J. G. 2885. Lebas Nr. 225. Waddingt. pag. 82.

[4] C. J. G. 2885. C. J. G. 2885 b.

[5] Movers Phoenizier I pag. 651 ff. cui adstipulantur Dunckerus & Schoemannus.

[6] Gesenius s. v.

[7] Cassius Hemina apud Servium ad Aeneïd. I, 378.

[8] Movers l. c. I pag. 652.

mili modo Cabirorum minister Κάδμιλος, קַדְמִיאֵל[1] servus dei, nuncupatur. Dein Cabirorum sacerdoti Κόης nomen inditum est, aperte כֹּהֵן, sacerdos. Samothraciae denique insulae antiquo tempore Melitae nomen fuit. At ubicunque hujus nominis mentio fit, pro certo constat, hoc loco Phoenices sedem collocasse.[2]

Itaque etiam Cabirorum sacra, quae apud Milesios floruerunt, ex Phoenice primam duxisse originem mihi probabile est, quamquam, qui primi peregrinis illis sacrorum sollemnibus initiarunt Milesios, Onnes et Tottes, Phryges fuerunt.[3]

Qui apud Branchidas Cabirorum sacerdotio fungebatur, κωτάρχης seu κώταρχος τῶν μεγάλων θεῶν Καβίρων nominabatur. Atque ex titulis compertum habemus, hoc munus nonnumquam Apollinis prophetas suscepisse.[4]

Vox quae est κωτάρχης fortasse recte a Keilio,[5] cui et Boeckhius adstipulatur, explicata est. Is enim κωτάρχην coëtum antistitem „κοήτων ἀρχὸν" significari vult.

Cabiris etiam adjungenda est Leucothea dea, quae apud Rhodios quoque finitumos deorum orientalium „τῶν προστῳῴων δαιμόνων" mater est.[6] In honorem Leucotheae puerorum ludi celebrabantur.[7]

Praeterea etiam Fortunae, Themidi, Latonae Triviaeque sacella vel altaria quaedam dedicata fuisse, ex regum Seleucidarum donis manifesto apparet.[8]

Iam vero cum Didymaeum delubrum ditissimis adnumerandum sit, magno etiam territorio praeditum fuit. Quod quamvis non tanta testimonium multitudine, quanta in Triviae Laginensis delubro, confirmetur, tamen ex titulo memorabili colligi potest,

---

[1] Gesenius s. v.

[2] E. Curtius Sieben Karten zur Topogr. v. Athen Text pag. 11.

[3] Nicolaus Damascen. frgm. 54. Müller frgm. historic. Graec. III pag. 388. Feder excerpt. Escurial. pag. 95.

[4] C. J. G. 2880 et 2882.

[5] Specimen onomatol. Graeci pag. 107 ff.

[6] Diod. Sicul. V, 55.

[7] Conon ap. Phot. cod. 186 Nr. 44. C. J. G. 2855.

[8] C. J. G. 2852.

in quo οἱ περὶ τὸ μαντεῖον πάντες καὶ οἱ τὸ ἱερὸν κατοικοῦντες καὶ οἱ πρόσχωροι[1] commemorantur.

οἱ περὶ τὸ μαντεῖον καὶ οἱ περὶ τὸ ἱερὸν aperte sacerdotes et aeditui (οἱ ἱερόδουλοι) sunt, πρόσχωροι vero incolae agri sacri, qui sub jure potestateque prophetae et hydrophori fuit.

Dein etiam mulierum, quae ad templum pertinuerunt, mentio fit, αἱ ἐκ ναοῦ γυναῖκες.[2]

Sacrae quoque terrae Panormus portus fuit, quo peregrini, Apollinem sciscitaturi, navim appellebant. Quo loco sacer fons prosiluit, qui quidem ex Mycale monte originem duxisse et per mare Panormum penetrasse traditur.[3]

Μούνῳ δ' Ἡελίῳ[4] φαεσιμβρότῳ εἰσέτ' ἔασιν
Ἐν Διδύμων γυάλοις Μυκαλήϊον ἔνθεον ὕδωρ.

Ex Panormo ad Didymaeum sacra via munita fuit, statuis perantiquis atque donis fautorum templi ornata. Nostro demum aevo Newtonius Britannus, statuas nonnullas, quas temporum iniquitas nondum deleverat, in Britanniam removit.[5]

Templi vero reditus a quaestoribus administrabantur, qui ταμίαι vel ταμίαι καὶ πάρεδροι ἐν τῷ ἱερῷ nuncupantur.[6] In titulis modo sex, modo duo commemorantur. Atque cum in aliis unius modo mentio fiat, fortasse recte Boeckhius conjecit, pro eorum principe eum habendum esse. Munere per semestre fungebantur.[7]

Summi momenti est, Branchidarum fanum etiam cudendorum nummorum jure fructum esse. Namque J. Millingen[8] praeclarum Didymaei delubri nummum publici juris fecit, cujus

[1] C. J. G. 2879.
[2] Lebas nr. 227.
[3] Pausan. V, 7, 5.
[4] Euseb. praep. evang. V, 16 c. not. Vigeri.
[5] Fuse de illis statuis disputarunt O. Müller kl. Schrift. II pag. 602. L. Ross archaeol. Aufs. II, 378—383. Newton Discoveries Vol. II Part. II Cap. XXIII pag. 527 ff.
[6] C. J. G. 2852. 2879 etc.
[7] C. J. G. 2879.
[8] J. Millingen Sylloge of ancient inedited coins. London 1837. pag. 70 et 71.

in fronte Apollo laureatus, in parte aversa leo gradiens, stellam aspiciens, formatus est. Marginis vero inscriptio est:

ἐγ Διδύμων ἱερή.

Qua ex re docemur, fanum non in potestate ac dicione Milesiorum fuisse, sed sua jura ac leges habuisse.

§ 4.
De Branchidarum apud Milesios auctoritate.

Restat denique, uti paucis adumbremus, quomodo Branchidae Milesios ad humanitatem informarint. Priscis enim temporibus homines feroces et impotentes a deorum vatibus et sacerdotibus gubernentur, necesse est. Atque uti medii aevi episcopi et abbates treugam Dei, quae vocatur, constituerunt, ne perpetuis inimicitiis ac bellis populi semetipsos dilacerarent, ita etiam apud Graecos Lycurgus auctoritate Delphici Apollinis usus, intestinam Lacedaemoniorum discordiam composuit, et Epimenides, Creticus vates, Atheniensibus pacem reddidit. Similia etiam de Branchidis memoriae produntur. Seditione enim coorta inter Milesiorum optimates et plebejos, qui Gergithes nominantur, divites, posteaquam victores evaserunt, tam crudeliter in plebejos consuluerunt, uti eos cum liberis pice linerent et cremarent. Qui cum misere periissent, multa prodigia evenerunt, et sacra olea igne consumpta est. Sacerdotes vero Milesiorum proceribus sacrificiis omnibus interdixerunt, et per longum temporis spatium theoros, qui numinis voluntatem sciscitarentur, ab oraculo removerunt, respondentes:

Καί μοι Γεργίθων[1] τε φόνος μέλει ἀπτολεμίστων
Πισσήρων τε μόρος καὶ δένδρεον αἰὲν ἀθαλλές.

En factum praeclarum, Ambrosio et Ioanne Chrysostomo dignissimum! Sacerdotis enim est, miseros et oppressos adjuvare, neque potentium ira terreri.

Ubi autem publica calamitas Milesiorum urbem oppressit, populus omnis ad Didymaei oraculi sacerdotes confugit, qui Mi-

[1] Athenaeus XII pag. 524 b.



lesios a communi peste liberarent. Cujus rei testis est Clemens Alexandrinus.[1] Branchus enim, uti perniciem a populo averruncaret, eum lauri ramis aspergens, hymnum dicendo praeivit hoc modo:

Μέλπετε, ὦ παῖδες, Ἑκάεργον καὶ Ἑκαέργαν.

Ita autem acclamavit multitudo, ut diceret:

Βέδυ, ζάμψ, χθῶ, πλῆκτρον, σφίγξ,
Κναξζβί, χθύπτης, φλεγμώ, δρώψ.

Etiamsi versus illi, qui ὑπογράμμων παιδικῶν[2] seu Ἐφεσίων γραμμάτων numero ascribendi sunt, perantiqui esse nequeant,[3] tamen nos docent, praeter sacerdotes popularium quoque conventum, non aliter ac apud christianos, rerum sacrarum partem capessivisse.

Quanta autem sacerdotum auctoritas fuerit, ex Iuliani loco, memoratu dignissimo, apparet. Ex eo enim comperimus, Branchidas eis, qui nefarie ac superbe in sacerdotes consulerent, summas a deo poenas incurrere proclamasse:

Ὅσσοι ἐς ἀρητῆρας ἀτασθαλίῃσι νόοιο
Ἀθανάτων ῥέζουσ' ἀποφώλια, καὶ γεράεσσιν
Ἀντία βουλεύουσιν ἀδεισιθέοισι λογισμοῖς,
Οὐκέθ' ὅλην βιότοιο διεκπερόωσιν ἀταρπόν.
Ὅσσοιπερ μακάρεσσιν ἐλωβήσαντο θεοῖσιν,
Ὧν κεῖνοι θεόσεπτον ἕλον θεραπηΐδα τιμήν.[4]
Καὶ πάλιν ἐν ἄλλοις ὁ θεός φησι·[5]
Πάντας μὲν θεράποντας ἐμοὺς ὀλοῆς κακότητος κτλ . . . .

Priusquam disputandi finem faciam, addere mihi liceat verba sollemnia, quibus Andreas propheta Didymaeum deum invocavit:[6]

Ἄπολλον ὦναξ, τέμενος ἀμφέπων Βράγχου
Εἴ τοι μέμηλεν ἔμπεδος προφητείη,
Ἐς Ἀνδρέαν ὅσσοισι πρήεσσιν δέρκευ.

---

[1] Clemens Alex. stromat. V pag. 570 A B. ed. Sylb.
[2] Soldan Zeitschrift für Alterth. 1841 pag. 553.
[3] Hoeck Kreta II pag. 523. Lobeck Aglaoph II pag. 1331.
[4] Julian. epist. LXII ed. Heiler.
[5] Julian. Imp. frgm. pag. 298 A. ed. Spanheim.
[6] Newton Discoveries pag. 777. Nr. 61.